

Johann Affelmann Peter Pechlin

## **Resolutio Triados Verborum E Septem Testamenti Christi In Cruce**

Rostochii: Pedanus, 1615

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73767444X>

Druck Freier  Zugang



Vert.: P. Paddie

J. Affelmann f. B.

R. U. theol. 1675.



D. O. M. A.  
RESOLUTIO  
TRIADOS  
VERBORUM  
E SEPTEM  
TESTAMENTI  
CHRISTI IN  
CRUCE,

Ad disputationem publicam proposita  
PRÆSIDE

Dn. Ioanne Affelmanno  
S S. Th. D. & Professore.

RESPONDENTE  
PETRO PECHLIN  
Rostochienfi.

*Ad diem 1. April. in auditorio Majori horis  
à sexta matutinis.*

*Sim memor ipse Dei: Sis Crucifixe mei.*



ROSTOCHII

*Literis Joachimi Pedani, Academia Typogr. Anno 1615.*

Reverendâ Dignitate.

*Viris Prestantissimis, & Doctissimis, magnalium Dei præconibus,  
mysteriorumq; dispensatoribus fidelissimis*

Dn. M. HELMRADO RINCHT- VVICHT, pastori Eccles. Tetrovianæ.	Dn. M. HENRICO MASIO, apud Femarienses, Diacono Burgenfi.
Dn. M. MICHAELI LANGIO, Eccles. Petrinæ, quæ Rostochij est, Diacono.	Dn. SAMUELI ROSENBAUMIO, in Dithmarfia apud Veslingburgenfes Ecclesiastæ & Poetæ laureato.
Dn. M. ANTONIO BURCHARDO, verbi divini ministro constantis.	Dn. GEORGIO KENAST, Eccles. Pristovianæ Meg. ministro fidelis.

*Fautoribus, amicis & affinis meis officiosè colendis.*

S. P.

**N**ecessè est eum magna vi amoris moveri, qui alteri cum dolore benefacit, cum eï nihil debeat, & quidem sine spe utilitatis. Agè sistite Christiani, expendamus prægnantia valde hæc septem verba à CHRISTO in cruce prolata. Annon certè CHRISTUS, cum nihil nobis ulla obligatione deberet, nec ullam à nobis utilitatem expectare posset, nobis cum dolore benefecit? Ergone in eo ardentem & sincerum amorem erga Ecclesiam & pios (licet id ingratorum Iudæorum calumnia non dicat) non agnoscamus? Hic ille est, qui ut nostram à peccatis liberaret carnem, carnem assumpsit, abjectissimâ hâ: servi formâ in cruce pendens latronum in medio, ut Dux & Princeps eorum, manibus, pedibus & mente (ut Simonides aiebat) *πρὸ ἀγῶνος*, tanquam ad hoc extentas manus habens, emphaticam hanc confessionem, non quidem reorum damnativam, nec gratiarum redditivam, sed peccatorum verè purgativam (quæ Bernhardi distinctio est) septem in cruce verbis summè dolens prolata, extremâ hac voce (*τετέλεσται*) totum redemptionis opus impletum esse confirmaturus, edidit. Sed horum verborum ἐπιφάσει non sufficiunt binæ pagellæ: & quamvis hæc septem quidem simul una vice proponi, pensius tamè aestimari unâ non possunt. De hinc vobis Viri Rev. ut totius mysterij, omniumq; verborum Christi declamatoribus & præconibus dignissimis horum etiam aliquid committo: Quod verò super est, Vestris Rev. dignitatibus, ut promotoribus, fautoribus, amicis & affinis benevolis bene de me meritissimis, de perpendenda passionis Dominicæ materia in vestrorum de me beneficiorum longè longè maximorum testimonium consecratum esto. Valetè.

O. V. S.

PETRUS PECHLIN, Respondens.



THESES I.



Rimus § Apocal. 5. interpretes ita habuit varios, ut cui sententiæ adstipulari quis debeat, ipsi etiam doctiores dubitent: quidam, cum Beza, alijs hæc relinquere consideranda, quàm ipsi excutere malint. ita habet: Et vidi in dextra sedentis super thronum librum intus & in tergo signatum sigillis septem.

2. Vulgata expositio est, per librum hunc intelligi ipsam Scripturam sacram. Sic *Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Beda, Origenes, Hilarius, Eusebius, Hugo*: è novellis, *Barradius, & Marloratus*, qui eam tuetur, ut indubiam. A foris scriptum dicunt plæriq; vetus, ab intus, Novum Testamentum, quod intra vetus latebat: & ut acceptabilior fiat *Ἰηλουσις*, per septem sigilla, septem præcipua de Christo mysteria, quæ è scripturis rectè numerari possunt, indicari existimant. Equidem à recepta interpretatione non facile discedo, si modò vera sit; falsas enim absit, ut cum *Christophoro Longolio* retinendas existimem. Hic ut discedam, imperat veritas, ipse, inquam, Apostoli scopus, qui est, futurum Ecclesiæ statum prænunciare, quæ oporteat fieri posthæc, ut legitur c. 4. v. 1. At quæ hoc ad Vetus quadrabit Testamentum, cujus vaticinia præcipua per Christum impleta, & Joanni non futura sed præsentia erant?

3. Quidam è Postillatoribus, qui auditoribus suis etiam divina Apocalypseos verba explicant, (quidni? cum ipse Jehova hoc jusserit, & non nisi rustica fratrum ordinis ignorantia negare ausit malitia, qui parum abest, quin omnes è cathedra Ecclesiastica, tollant allegorias, aphorismos, syllogismos, barbarie, impudentia, & inscitiam planè detestandam) ut Passionis Dominicæ memoriam in auditorum animis reformat, de Christo explicant, & ad passionem Salvatoris, jucundè satis accommodant, dicentes, quod Christus sit liber foris scriptus & intus: Foris, per externa flagella, vulnera, intus, quoad animæ tormenta: Septem verò sigillis opinantur indicari cum septem, quæ aptè vel enarrantur, vel

enarrari possunt, eximia in passione mysteria, tùm septem verba in cruce à Christo prolata. Et certè tam jucunda, & simul docta, est de Christo, omnium visionis hujus partium, explicatio, apud Bernhardum, *mibi fol. 167. sermon. 1. in fest. Pasch.*, ut jure dubitari possit, an in hoc genere eruditius quid sol viderit. Pleno tamen spiritu ijs astipulari non ausim: quia enim apertio sigillorum res futuras, & tristem Ecclesiæ statum notat: Ergo non possunt Redemptionis mysteria intelligi.

4. Equidem ut ad passionis Christi meditationem inflammantur corda fidelium, utile est & necessarium, vix tamen commodè dictus liber huc afferetur, tam nec, quàm alter ille, qui proditur Dan. 7. v. 9. 10. Apocal. 20. v. 12, quibus locis quidam scripturæ librum, quidam sanctos, plæriq; conscientias hominum intelligunt. Satis incommodè.

5. Alia ad hanc rem argumenta sunt, quæ passim extant, cum ex planis scripturæ testimonijs, mandatis, comminationibus, exemplis, necessitate, utilitate, quatuor ejus finibus, allegoricis & anagogicis explanationibus. ipsum Salvatorem exclamare, nos invitare, sunt qui scribunt Thren. 1. v. 12: O vos omnes, qui transitis per viam hanc: attendite & videte, an sit dolor, sicut dolor meus! Assentior, in applicatione dicti anagogica, non explanatione ejus propriâ. Lutherus noster in aurea Tesseradecade *cap. 7. som. 1. Ienens. Latin. fol. 448* huc accommodat, è Cantico Canticor. cap. 7. v. 5, Comæ capitis tui, sicut purpura Regis, ligatæ canalibus. Accommodat autem rectissimè, quicquid non nemo contra objiciat. Nec mala est, licet ad Calvinianam non sit salivam, huc applicatio loci Origenica, è 2. Cor. 4. v. 10.

6. Officij ergo sui esse, rectè ducunt, qui in scholis Regijs DOCTORES profitentur Theologia, hoc est, in ordinario & exquisitissimè dicto ministerio Evangelico versantur, adeoq; non ad scientiam tantum, sed ad conscientiam quoq; docèt, ad jugem & perennem Christi crucis. professionem exsuscitare studiosam juventam. Unde nec alienum erit, si temporis præsertim habitatione, inde ab anno Christi 160, adeoque longè ante receptionem explanationis usitatarum pericoparû Evangeliorum Dominicalium, quædam è historia passionis Christi ad piam, doctam & placidam sermonum collationem in medium proposuerimus.

7. Non

7. Non una autem historia hujus instituitur divisio. Alij manuductione Nazianzeni, in actus certos dividunt, quorum quidam quatuor, quidam sex numerant, quidam quinq; malunt, eosq; versu comprehendunt: *Hortus, Pontifices, Pilatus, Cruxq;, Sepulcrum*; Alij ductu D. Chemnitij, juxta quatuor distincta tempora, ad Judaicam temporum distinctionem, discriminant; Alij juxta personas, quarum considerare possis octo: 1. Christum patientem, 2. Coetum discipulorum fugientem, 3. Senatam consultantem, 4. Pilatum trepidantem, 5. Herodem insultantem, 6. Milites affigentes, 7. Mulierculas condolentes, 8. Nicodemum & Josephu sepelientes. Non injucunda quoq; erit consideratio, si passionis *προηγυμηνους* antecedentibus, qua annunciatione & preparationem, *επιμνησους*, consequentibus, qua concionem funebrem & humationem lugubrem, in certae methodi gyrum revocatis, ipsa Passionis *Prasentia* tripliciter distinguas. Nempe jussit Dominus Mosen tres extruere & erigere aras, puta, *terream* Exod. 20. v. 24, *Lapideam* Exod. 20. v. 25. *Ligneam*, Exod. 30. v. 1. insignem haec habuere passionis Christi Typum, & methodicam ejus delineationem. Indicarunt Christum primo in ara terrea, qui hortus; Dein in ara lapidea, quod judicium, tam Ecclesiasticum quam politicum: tum in ara lignea, quod crucis patibulum, tandem aliquando immolatum iri. Quod crucis supplicium, apud Romanos usitatum, etiam apud Judaeos in usu fuisse, ea poena affectos homicidas, idq; Rhilonem tradere, ajunt *Lipsius*, (maximus de cruce, in lib. de cruce, nugator, & saepius fabulator) *Sigonius*, alij: At inquam ego, quot verba, tot ferè esse peccata. Nam nec supplicium istud apud Judaeos fuit in usu, nec ea poena Judaeorum legibus affecti homicidæ, nec Philo hoc tradit.

8. In prasens *Ἰηουῶς*, missis alijs, breviter percurremus, quæ in ara lignea gesta sunt, sed ea non omnia, verum tantum septem Christi verba, & ne hæc quidem omnia, sed tria priora, quibus nos respicit primo, ut posterioribus se. videbimus illa breviter, ceu opobalsamum in myrotheca MyroChristi præstantissimum, adversus spirituales inedia, acediam, athymian, Melancholian, Distychian juxtim & Aphilian.

9. Testamentum Christi, verba ejus in cruce, dixere pij veteres,

A. 3.

teres,



iteres, cum publicum tum domesticum; significatione non alienâ, sed aptissimâ: Itemq; virtutum Christi perpetua Sacramenta, paterni erga nos amoris argumenta, veræ & ἁγιωσύας documenta, omnium actionum Christi, quas imitari debemus, complementa. Hinc Augustinus: Crux morientis facta est Cathedra docentis. Et ad verba hæc in primis Ecclesia respexit Cantic. 5. v. 6. Nam ut in fimbria, quæ ultimum est vestis, pretiosa Sacerdotis erant campanulæ mirum edentes sonum, mala punica aurea, sic ubi Christus summus sacerdos, ingreditur in sancta per proprium sanguinem Heb. 7.9.10, &c. mirum emittit sonū verborum septem. Ineptissimè autem Orosius Typum huc accommodat. è 2. Reg. 23. v. 8.

10. Videamus 1. Quis loquatur. 2. Quid tribus verbis prioribus loquatur.

11. Quis verò? Non sunt hæc ultima verba Jacobi Gen. 49, Mosi Deut. 31. 32, Iosue c. 24, Davidis 2. Sam. 22. & 23. 1. Reg. 2, Zachariæ filij Jojadæ 2. Par. 24, Matathie 1. Macc. 2. Tobie c. 14, Hectoris apud Homerum Iliad. K, Didonis apud Virgilium 4. Æneid, Micipsæ apud Salustium, Scyluri apud Plutarchum: Sed Apophthegmata exodia Apostoli confessionis nostræ Heb. 3. v. 1, ejus scilicet, qui pro nobis passus est.

12. Passus est autem & crucifixus, non, ut vult *Alcoranus Mahometicus*, Simon Cyrenæus, sed ipse Dominus gloriæ 1. Cor. 2. v. 8, auctor vitæ Act. 2. v. 14, Filius Dei Gal. 2. v. 20. Rom. 8. v. 32. c. 5. v. 20, ipse Deus Act. 20. v. 28: non sine doloris sensu; quod mireris, inter ipsos Patres, fœdo lapsu negare Hilarium *lib. 10. de Trinitate*. Tota, inquam, persona passa est, non sola humanitas, ut Calviniani nugantur, è Nestorij (non Patripassianorum, ut quidam ridiculè,) Pandora, & Theodoretij superbientis nugis. Quapropter Esaia 43. v. 14 sibi, non ut nudo homini tantum, sed ut Iehovæ vindicat redemptionis opus. Hinc rectè Tubingenses: Christum QUOAD utramq; naturam esse passum, licet non in divina natura, vel secundum eam. Rectè Witebergenses: Divina natura in rei veritate passionum carnis, propter unionem, ineffabili modo particeps est. Et rectè tamen ijdem: Filius Dei secundū SOLAM humanam naturam passus. Nunquam certè explicabunt, stante fectâ suorum sententiâ, Calviniani, hoc Paulinum

Num. 1. Cor. 1. v. 23: Judæis scandalum, paganis autem stultitiam  
 fuisse Christum crucifixum. Et ut mutuer præmissas, ex ipsorum  
 adversariorum libris, sic concludo: Passio solius carnis, quan-  
 tumvis justissimæ, pro se non satisfacit, pro alijs minus, pro toto  
 mundo minimè. Propositio est Francisci Junij in *defens. 1. Cathol.  
 doct. de Trinit. contra Samosat. sect. 29.* Passio in Christo est Passio  
 solius carnis. Minor est Anahaldinorum *contra lib. concord, & in-  
 consens. Orthodox. p. 18. & 122.* Sadeelis *de verit. hum. nat. p. 88. 109.*  
 Danæi *cont. Chemn. p. 304,* & Calvinianorum omnium, qui in pro-  
 positionibus, DEUS est passus &c, Synecdochen collocant.  
 Ergo passio in Christo pro se non satisfacit, pro alijs minus, pro  
 toto mundo minimè. Absurdū! Breviter: Mortem gustavit, quia  
 verus homo assumpserat infirmitates naturales, non personales,  
 mortem deglutivit, quia verus Deus est. Dices: Ergone respuis  
 omnem hic ἀδολασον? Dicam verbo: Non omnem. Admitte  
 illam, quæ in Ecclesia sonabat, circa annum Christi 730, ea au-  
 tem est **DISTINCTIVA**, damno Cinglianam, ea autem est  
**EXCLUSIVA**.

13. Idem ergo & loquitur. vox Christi in arbore crucis, oppo-  
 nitur voci serpentis, in arbore paradisi. Quid verò loquitur? VER-  
 BA, seu sententias, septem. Numerus verborum mysticus, &  
 aliàs sanctus, ut Hieronymus loquitur, longè sapientiam septem.  
 Græciæ sapientum excedit: Præfiguratus generaliter, idq; propriè,  
 in ratione docendi Pontificum, specialiter, septem lucernis illis,  
 super unum aureum candelabrum positis, Exod. 25. v. 37. Zach.  
 4. & septem tubis Ios. 6. v. 4, indicatus septena Davidis laude,  
 quam unò dixit die Psal. 119. v. 164, ostensus septem columnis,  
 quibus suffulta domus sapientiæ Psal. 9. v. 1, 2, designatus septem  
 oculis per totum terrarum orbem ex lapide Iesu discurrentibus.  
 Zach. 3. v. 9, oppositus, Hugonis sententiâ, septem vitijs capitali-  
 bus, & comprehendens universum septimanæ nostræ curricu-  
 lum. Tot, inquam, verba sunt, quot verba secundæ legis tabu-  
 læ. nam & huic septem verba, seu præcepta, rectissimè assignan-  
 tur, ita, ut duo sint distincta de concupiscentiâ præcepta. Quod  
 impugnant quidam Calvinisequæ, at argumentis minus firmis:  
 unde & ne pereat ijs verborum seu præceptorum decas Exod. 34.  
 v. 28, secundum præceptum tabulæ primæ, de imaginibus fa-  
 ciunt,

ciunt, supercilio satis calvo. Tot verba sunt, quot Orationis Dominicæ petitiones. Nam quod & hujus, invidiâ Lutheri, non nisi sex faciunt, pleriq; Calviniani, licet malâ Calvinii & Bullingeri pace, decipiuntur fictâ observatione: quia cum articulo legatur τὸ πονηρὸν, à malo, cum articulo autem vox hæc Satanam denotet. Fictâ dico: Nam & neutrum πονηρὸν, malum, cum articulo legitur Roman. 12. v. 9. Notari voluit antiquitas, septem verba septem fuisse secuta miracula. 1. lucis obscurationem. 2. terræ motionem. 3. petrarum fractionem. 4. veli ruptionem. 5. hominum conversionem. 6. sepulcrorum apertionem. 7. mortuorum resuscitationem.

14. Ostendit Christus in cruce septies, se esse Verbum illud Ioan. 1. v. 1, ita dictum, externi officij & revelationis respectu putata. Quanquam non tantum: ut falsò Flacius. Nam fuit verbum vel λόγος ab omni æternitate Ioan. 1. v. 1. Non ergo externi officij ratione tantum ita dicitur. Nec est, ut regeas, ita dici, ratione decreti, jam inde ab ultima æternitate in SS. Trinitate facti, quia videlicet debuerit λόγος fieri, respectu creaturarum & officij. Nam sic foret consequens, Filium Dei non propriè esse λόγον, sed κατ' ἀνθρώπων. Quin, si nullo alio, quàm externi solum, officij respectu, λόγος in scripturis nominatur: confectarium fuerit, ipsum quoq; patrem & Spiritum S. posse appellari λόγον: quia, inquam, opera Trinitatis ad extra sunt communia. At posteriùs est falsum. Ergo.

15. Neq; tamen probamus illorum, inter quos facilè primas Philippus Melancthon cum Osiandro, sententiam, Filiûm Dei nominari verbum vel λόγον, quia cogitatione à Patre genitus sit, quâ pater, se intuens ac considerans, genuerit quandam substantialem sibi imaginem, & permanentem: sicut nostra mens accidentalem & evanescentem. Certè nullo, neq; scripturæ, neq; antiquitatis, testimonio, nî forte Basilidem, Servetum, adsciscere velis. Quid? Anne Spiritus S. intueatur & consideret Filium, quaerim. Omnino! Aut ergo fortior erit consideratio Patris, aut si intuitu in Trinitate gignitur Filius, etiam Spiritus S. habebit filium. Prius, personarum in Trinitate inæqualitatem. Posteriùs, personarum infinitam introducet multiplicationem.

16. Vi-

16. Videamus jam verba tria, è septem, verbi hujus æterni. Primum apud Lucam est, idq; amoris summi & intercessionis c. 23. v. 34. Ita habet: *PATER remitte illis, quia nesciunt quid faciant.* Iacobus Patriarcha testamentum condidit, in quo partim filios, partim seipsum aspexit. Gen. 49: Christus in cruce, verus iste Iacob, sanxit testamentum, respiciens & homines & seipsum. Homines primò, cum generalius tum specialius. Generalius vel communiter, primò apophthegmate seu verbo. Plato in Phædone dicebat: *δὲ ἐν Ἀφροίᾳ ἴπποφάνειν*, hoc est, oportet mori in precatione. Initium verborum suorum moriturus Salvator facit à precibus, itemq; finem. prostrernit uno ictu, Prodicianos, Adamitas, & Cyrenaicos Philosophos; qui orationes omnes dicebant supervacaneas. Quorum &, sed quadantenus tantum, Pelagiani pertinent. Typi orationis Christi sunt in Mose Exod. 17. v. 32, Aarone Num. 16. v. 46, Davide, 2. Sam. 18. prædictio orationis hujus Esa. 53. v. 12. Psal. 109. v. 3. 4. Explicatio &, pro reverentiâ, intellige cū activè tum passivè dictâ, exauditio Heb. 5. v. 7. illustratio 1. Pet. 2. v. 23. Effectualis operatio Heb. 2. v. 4, notante Augustino, Leone Papa, & Luc. 23. v. 40, notante Theophylacto & Cypriano: quoniam est illa operatio in hac vita perpetua.

17. Distinctè autem: **I. QUEM ORAVIT?** non vitulum Exod. 32, non Baal 1. Reg. 18, non statuas, Dan. 3, non Dagon 1. Sam. 5, non Deum ignotum Act. 17, non angelum Apocal. 19, non homines mortuos Act. 14, sed Patrem. Patris voce, quæ misericordiæ & in summis angustijs summæ fiduciæ, non Iehovæ & Domini, quæ justitiæ, utitur. Ubi inter personam & officium distinguas, oportet. Nempe ita nos sibi tantum cordi esse: de se verò parum esse anxium aut sollicitum ostendit Christus. Hinc, non in solo exinanitionis, sed & in statu gloriæ Christus noster advocatus est apud Patrem 1. Ioh. 2. v. 1. Heb. 7. v. 25, postulans pro nobis Rom. 8. v. 34. Quod quidem negant Romanenses multis argumentis. Quibus facilè satisfacere, observatis distinctionibus 1. inter intercessionem ipsam, & intercessionis modum. 2. inter ipsum sacrificium plene peractum, & peracti applicationem.

18. Aberrant è modernis hæreticis Pontificij, cum alios investigant Patronos, præter Patrem, præter Trinunum Deum, cum sanctos angelos, sanctorum defunctorum animas, reliquias, imagines,

B

gines,

gines, ipsamq; in qua pependit Christus, crucem, religioso cultu  
afficiunt, ut aliàs demonstravimus. In præsens sufficiet nobis  
Christi exemplum, ex quo sic infero: Ut Christi actio nostra est  
institutio: ita nostra invocatio, est ad eam formam, quam ipse  
exemplo & mandato nobis præscripsit, formanda. Matth. 17. v. 5.  
Ioan. 7. v. 18. Typus est in Ioabo 2. Sam. 14. v. 13. At Christus &  
exemplo & mandato unum verum Deum docet invocandum.  
Hinc summam præscribens nobis formam & normam veræ  
orationis, hanc ad solum Deum dirigere jubet: Sic, inquit, vos ora-  
bitis: Pater noster &c. Matth. 6. v. 9. Luc. 11. v. 2. conf. Ioan. 16.  
v. 23. Ergo. Excipiunt Jesuitæ 1. argumentum hoc non concludere,  
aliàs enim & illud conclusurum: Christus verbo & exemplo  
solum patrem invocare docuit. Ergo Filius Dei & Spiritus S. in-  
vocandi non sunt. Absurdum. 2. Christum, cum orare doceret,  
discipulos, non de eo qui orandus est, sed de ijs rebus, quæ peten-  
dæ sunt, discipulos admonere voluisse. Satis enim constituisse, Deum  
esse orandum, cumq; solum, cum auctor donorum quæritur, sed  
de modo orandi, sive, de petendis rebus Apostolos hæsitasse, cum  
dicerent Luc. 11, Doce nos orare. vide Bellarm. *l. 1. de sanct. beat. c. 20.*  
Resp. ad prius. 1. illum solum Deum Christum invocare docuit, à  
quo petimus, ut nomen ejus sanctificetur, regnum ejus adveniat,  
fiat voluntas, det panem quotidianum &c. Atqui solus ille Deus,  
est, Pater, Filius, & Spir. S. id quod infinitis scripturæ dictis potest  
confirmari; unde desumpta illa nobilissima D. Augustini regula:  
Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, servato tamen ordine per-  
sonarum Trinitatis. Ergo Filius Dei non excluditur. 2. Si voca-  
bulum Patris, in Oratione Dominica, vel maximè accipias perso-  
naliter, cum Calvinianis, manebit tamen argumentum ad adora-  
tionem Filij Dei. Si enim Patri debetur honor, ergo & Filio, quia  
Pater & Filius sunt relata, atq; ideo ejusdem naturæ. 3. In creaturis  
alia ratio, quia illæ extra Trinitatis essentiam. Ad posterius 1. Cur  
igitur mentio inibi sit Patris. cœlestis? Cur præterea, in Epilogo  
orationis, regnum & potentia ejus describitur? quæ omnino de-  
notant objectum. 2. Si in Oratione Dominica, de eo qui adorandus,  
Christus nihil monuit, orationem ergo præscripsit Ecclesiæ:  
sua imperfectam, & cui deest pars præcipua; At hoc ἀπελόγητον.  
Nec est, quod objicias, constituisse discipulis jam ante, solum Deum  
esse.

esse invocandum: Nam sciebant & jam ante discipuli, solius Dei esse regnum, potentiam, gloriam; ergone concludes Christum, hic non admonuisse eos de potentia, gloria & regno solius Dei? *ἀναξιδερον*. Distingue: Aliud est, de novo aliquid docere, aliud, vetera in memoriam distinctè, & ordine revocare, certisq; argumentis confirmare. Quid? Quod etiam sciverint discipuli, quæ & quomodo à Deo petenda sint, ante institutam orationis Dominicæ formulam? Si enim nescivisse dixeris, necessum est, largiaris, de hoc nihil in scriptura Veteris Testamenti extare, vel discipulos hæctenus à Deo nihil petijisse. Non prius: reclamât enim vel soli Psalmi Davidis. Non posterius: sic enim discipuli Christi fuissent Epicurei, quod ignominiosum.

19. Corruit ergo simul, Pontificiorum dogma, quasi filij Dei invocatio è scriptura probari non possit.

20. Solum autem Deum cum invocamus, Domini nostri carnem adorandam non excludimus. Canon enim Cyrilli est, particulam *solus*, in illis scripturæ testimonijs ubi Deo adjungitur, excludere tantum à divini honoris consortio creaturas extra Trinitatem collocatas. Eadem verò est persona ante & post incarnationem, sed nō uniusmodi. Contra *ἐναρδοξίαν* Calvinisticam, hoc notandum est, quos tamen si in uno & eodem censu habere volueris, errabis. Rapiuntur in opiniones varias; quarum quidam tres numerant, quibus & quarta noviter accessit. Ita fœcundus error est. De quibus aliàs prolixius. Perfrectam, modò velim, intueare hominum frontem! si fides, seu fiducia cordis, adorationis cultu, in assumptam à *τῷ ἁγῶ* persona humanitatem ponenda non est: quid ergo toties in suis scriptis repetunt Calvinisequæ, carnem Christi in cœnæ Sacramento manducari fide? Concilia Majores nestræ, inter alia, subinde opponebant Calvinisequis, Magorum ab oriente coram Christo procidentium factum: circa quod hujut tumultuantur adversarij, & nescio qui alij Critici! Ajunt: à Magis quidem Christum adoratum fuisse, quia coram Christo procidebant, at, inquit, adoratio illa & genuum flexio quod non civilis & politica, sed spiritualis & religiosa fuerit, id verò est, quod è textu demonstrari nequit. Ego verò tribus firmissimis è textu hoc demonstrari posse argumentis, respondeo. E

quibus hoc loco sufficiat unicum. Qualem Magi quæſiverunt Regem, talem Regi invento cultum, honorem & adorationem exhibuerunt. *Φ 278. 290.* At Regem quæſiverunt non terrestrem, sed cœlestem, quod probō: Talem regem quæſiverunt Magi, qualem non habuerunt. At terrestrem, temporalem, habuerunt in sua terra. Ergo. Subinde tamen hîc notandum est, non tam quari de adoratione, actu secundo, quàm adorabilitate, actu primo, ob Hieronymi Zanchij varias argutias.

21. Objicit nostris dissensum in hoc themate quidam Bremensis Lector: Nam inter Heshusum & VVigandum convenire non potuisse, quantum adorationem Christi secundum carnem. Ego verò Bremensi Lectori vix tantum fidei; objecerit licet plaustra indoctorum, idem dicentium. Nego, quantum rei ipsius cardinem, convenire non potuisse inter illos. Orta quidem fuit in Borussiano certamine quæstio hæc, an rectè dici possit: Caro Christi est adoranda in abstracto; Quidam tutati sunt propositionem, quidam rejecerunt, at utraq; pars rectè sentit. Nā hi, qui repudiarunt, secuti sunt usum Etymologicum, illi verò qui tutati, usum Scholasticum.

22. II. CUI ALIQUID PETIT? Hostibus. Sicut justus pro injustis moritur, ita etiam pro inimicis orat. Pro inimicis? Imò pro hostibus infensissimis, quorum operâ in crucem agebatur: spolia insontis nanciscuntur fontes: Quod & olim initio indicatum est, cum ovis sacrificatæ pelle, primorum parentum foedissima, Deoq; exosa nuditas, contacta est. Inquirebat quondam David: ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine? Psal. 88. v. 50; Nunc autem inquirere possumus: ubi sunt iræ tuæ Domine? Domine dixisti: mandatū novū dō nobis Ioan. 13. v. 34. Sed & nunc dicere potes: exemplū novum dō vobis. Ecce enim: Christo pendenti in cruce, quatuor hominum genera convitiata sunt, eum eluserunt. I. turba promiscuè præteriens Matt. 27. v. 39. Marc. 15. v. 29; Luc. 23. v. 35. II. milites Luc. 23. v. 35. III. Sacerdotes ipsi, & primores populi Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. v. 35. IV. Latrones, ibid. His tamen precatur Christus optima. Simeï maledico ignoscit David 2. Sam. 16, ultionem tamen filio committit Salomoni 1. Regum 2. v. 9. Simile in Zacharia exemplum 2. Pat. 24. at militibus suis non tantum veniam vult Christus impetratam, sed vindictam omnem

omnem simul ablatam. Exemplum nobis relinquens erga inimicos nostros, nobis insultantes, & ne quidem, veniam à nobis petentes. Vide Matth. 5. & 19. Rom. 12. Act. 7. 16. Gen. 50. Num. 14. 1. Sam. 8. 12. 2. Sam. 19. Phil. 4. Ephes. 4. 1. Timoth. 2. 1. Pet. 2. 3. Exod. 32. Prov. 14. 19. Eccles. 7. Job. 5. In historia Ecclesiasticâ illustrius hoc in genere nil est, exemplo Iacobi Apostoli, Imperatoris Henrici VII. Patris Eusebij. Cogitabimus, quod priscitus dicebatur, Tria Deum sibi soli vindicare, das Ruhmen Esa. 42. v. 8. Ier. 9. v. 24, das Richten 1. Cor. 4, das Rechen Rom. 12. Et pulchrius est meritis inimicos vincere, quàm si sanguineâ statuas alta trophæa manu. Nec verò qui audit, sed qui facit convitium miser est, dicente Cypriano: E contra cogitationes irati sunt partus viperæ comedentes matris viscera, & eam occidentes, dicente Hieronymo.

23. Tametsi verò *Augustinus* ad auditores crucifigentes sub cruce orationem hanc restringat, & ne quidem ad eos omnes *Thomas*, *Calvinus*, *Marloratus*, *Tossanus*, rectè tamen, cum *Bernharde*, ad nos etiam & alios omnes extendimus intercessionis fructum, quia omnes homines mortis hujus reos, adeoq; Christi carnifices esse propalam est, peccatis eum crucifigentes, Heb. 6. milites illi erant peccatorum nostrorum ministri, adeoq; nostri erant. Unde noto, Christum dicere, non, ignosce τῶνις his, qui me crucifigunt, sed indefinitè, ignosce αὐτοῖς, illis, omnes comprehendens homines.

24. Unde ex hoc loco respondemus ad argumentum, quod apud Calvinisequas utramq; facit paginam: Pro quibus Christus non oravit, pro ijs quoque non est mortuus, quia duo illa summi Sacerdotis officia, pro populo orare, & pro populo se offerre, sunt conjuncta. At Christus moriturus non oravit pro mundo, seu infidelibus Ioan. 17. v. 9. Ergo. Respondent quidam, *Lyræ* secuti, distinguendo inter voluntatem Dei antecedentem & consequentem: Quando Christus dicit: Non oro pro mundo, id pertinere, ajunt, ad voluntatem Dei consequentem judiciariam, non antecedentem seu misericordem. Quibusdam glossa *D. Lutheri* arridet: Non oro pro mudo, id est, non oro ut mudi & infidelium instituta & actiones tibi placere sinas. Conf. Num. 16. v. 15. Sed & ex ipsius Ibi Ioan. 17 collatione, cum hoc verbo Christi primo, in cruce,

B. 3;

Luc. 23.



Luc. 23. v. 34. solutionis potest peti fundamentum, hoc modo: Duplex est Christi oratio: altera generalis, ut *Pontificis*, quo pacto pro omnibus hominibus oravit, etiam pro impijs & inimicis, ut hinc Luc. 23. v. 34. altera specialis, ut *Pastoris*, quo sensu tantum pro suis auditoribus credentibus, non præfractis peccatoribus, orasse dicendus est. Confer similiter locum Ioan. 3. v. 16. cum Matt. 15. v. 24. Corrigo ergo argumentum, præeunte Ioanne Fero: Pro quibus Christus sese obtulit, vel, pro quibus mortuus, pro iisdem quoque, dum sese in ara crucis offerret, oravit. Rectissimè. At non pro solis electis, sed & pro omnibus alijs hominibus, adeoq; etiam hostibus & crucifixoribus oravit Luc. 23. v. 34. Esa. 53. v. ult. Heb. 5. v. 7. Ergo pro omnibus hominibus Christus mortuus est, etiam hostibus suis. Ergo & pro reprobis; quod est Anticalvinisticum, & Antiprædestinarianum.

25. Gemina illustrent hanc rem Theologi similitudine: Primò à captivitate Babylonica, & ex eà liberatione: dein ab annis jubilæis V. Test. Ut enim Rex Cyrus, publicis edictis, omnibus Iudæis indulset reversionem in patriam Esdr. 1. v. 3. 4. & 2. Paral. 36. v. 22, multi tamen, qui in Babylonica captivitate manere, quam libertate & benignitate regiâ frui maluerunt, actu, seu efficienter, è servitute liberati non sunt, sufficienter nihilominus ijs, Regio diplomate, acquisitâ liberatione: Et, sicut omnes servi poterant repetere possessiones suas in annis jubilæis, vi mādati divini, quippe omnibus illa libertas erat sufficienter acquisita Levit. 25. v. 40, qui verò negligentis erant, illi à servitute non liberabantur, licet liberari potuissent: ita quoq; comparatum est cum liberatione & iustitia spirituali, quæ omnibus parta, pluribus, ob negligentiam, consecuta non est. Pro asserta meriti Christi universalitate urgent nonnulli argumentum, à peccato in Spiritum sanctum. Illud enim consequenter negari, si affirmetur, Christum non esse pro omnibus mortuum. Hoc tamen argumentum dextrè proponendum erit: nam facilis lapsus est. Breviter: Mundus condemnatur, quia non credit in Christum Ioan. 3. v. 18. 19. 36: Si ergo impij damnantur, quia non crediderunt Christum pro se esse mortuum, certè damnarentur, quia non crediderunt mendacio: quia juxta Calvinianos mendacium est, expressè dicente Beza *part. 2. ad acta p. 221*, Christum esse pro

pro impijs mortuum. Absurdum! Universalia ergo, in salutis nostræ acquisitione, omnia: Dei miseratio: Christi satisfactio: hominum vocatio.

26. Non tamen hoc Christi verbum, justo amplius, Origenistico, Marcionitico, Anabaptistico, & Photinianorum novellorum ingenio, est extendendū, quasi tempore N. Testamenti (de eo enim omnis quæstio est) homini Christiano bella gerere non liceat. Quos vel unus locus Luc. 3. v. 13, 14, immò vel proprium istorum hominum factum refutat. Bella improbari non possunt, si adsint tria requisita. I. auctoritas principis. II. Causa cum materialis, idq; quadrupliciter, tum formalis, idq; tripliciter, iusta. III. Intentio bellantium proba. videlicet Thomam *parr. 2. sum. Theol. quæst. 40.* & D. Lutherum *tom. 3. Ien. Germ. f. 315.*

27. Neq; cum Anabaptistis torquenda, qui veteres quosdam Philosophos secuti, jus dilectionis adeo extollunt, ut ne quidem, in casu necessariæ defensionis, homini Christiano, vim vi repellere, contendant esse licitum. Nos, si quinque; necessariæ defensionis adsint conditiones, eam improbare non possumus. Et huc referimus locum ex Exod. 22. v. 2, exemplum Gen. 14.

28. Quanquam verò etiam pro hostibus nostris, tum præcepto, tum exemplo Christi, orandum sit, eosdem tamen, quæ Dei sunt hostes, & Ecclesiam nefarijs consilijs armisve perditum eunt, imprecationibus ac diris devovere; neq; à scriptura neq; à caritate alienum est. Nam peccandi licentiam compesci, etiam peccantibus expedit. Judic. 5. v. 23. Ier. 17. v. 18. vide Luther. *tom. 3. germ. Ienen. fol. 323. & seqq.*

29. Hinc tot in Psalmis imprecationes. Unde jam olim, quæsitum fuit: Quatenus illæ sint concessæ? D. Augustinus de hac re non nihil subdubitavit, ambigit, an sint licitæ. Et de Prophetarum exemplis, respondet, non fuisse illas imprecationes, sed tantum futurorum prædictiones. Nos quæstioni satisfieri posse dicimus, si distinguas, 1. inter personas imprecantes, 2. inter imprecationis causam. Alia enim personarum publicarum, alia privatarum: immo & publicarum duplex ratio est. Causa si sit vindicta privata, ipso facto vitiosa est imprecatio, à quocunq; fiat. Secus, si pietas & honestas, ita tamen 1. ut iræ conferantur in vitia, preces interponantur pro sanabili persona, 2. ut hominis talis quidem  
castiga-

castigatio temporalis petatur, salus autem æterna interim promoveatur; sine Davidico Psal. 83. v. 17.

30. QUID verò PETIT suis adversarijs? Non maledictionem, ut Noah Gen. 9. v. 25, non ignem, ut Elias, 2. Reg. 1, discipuli Christi Luc. 9, non urfos, ut Elisæus 2. Reg. 2, non iudicium Domini, ut David, 1. Sam. 24. v. 13, sed, τὴν ἀφεσιν, remissionem peccatorum. Est enim in Græco ἀφεσις, quod significat debitorem per acceptilationem liberare, ut ostendit Budæus in comment. græcæ linguæ fol. 370. v. 47, vel, manumittere, idem fol. 1141. v. 1. Cicero ἀφεσιν transactionem aut absolutionem, vertit. Vide Budæum ibid. f. 79. v. 4. Vult servatos eos, qui ipsum volebant perditum. Et quia æternum gerit Sacerdotium, æternum vult hujus intercessionis effectum. Ostendit se non tantum esse unum verum Mediatorem Redemptionis, quod concedere videri volunt Iesuvitæ, sed & intercessionis.

31. Arripit vocem hanc Socinus, cum sequacibus, sic colligens: Deus remittit nobis peccata nostra, ergo falsa sunt, quæ de satisfactione Christi, pro nostris peccatis, docentur, quia remissio & satisfactio se mutuo tollunt. A quocunq; enim creditori pro debito satisfiat; modò satisfiat; non potest ullo modo dicere, se illud debitum remisisse. At respondeo 1. limitando propositionem hanc: Cui Deus remisit peccatum ab eo non requirit satisfactionem: cui absolutè remisit. At sic falsa erit subsumptio: Deū nobis remisisse peccata: quia id non absolutè sed interveniente sanguine Christi factum Rom. 3. Col. 2. v. 14. 2. distinguendo ad eandem, inter satisfactionem propriam & alienam: Cui Deus remisit peccatum, ab illo non requirit satisfactionem, nempe propriam, non autem excludit, sed vi justitiæ suæ ( quicquid Arminius & Vorstius contra disputent ) exigit alienam. 3. Nec est ut perpetuo crepes, creditorem jure acquiescere & remittere sive ipse debitor, sive alius pro illo solvat: non autè acquiescere gratis. Nam Deus non erat nudus creditor, sed etiã justissimus iudex & peccatorum vindex, qui jure non tenebatur alienam satisfactionem acceptare: peccata etiam non sunt nuda debita, sed repugnant in super immutabili ac invariabili justitiæ Dei in lege revelatæ. Hinc sola & gratuita quidem est gratia, sed nō absoluta. Nec movent nos argumenta

argumenta Photinianorum contraria, quorum tamen nonnulla satis intricata esse, fatemur.

32. IV. CUR PETIIT? Quia, inquit, nesciunt quid faciant. Explicationis ergo videris 1. Cor. 2. v. 8. Actor. 3. v. 17. Numquid gentem ignorantem perdes, vult Dominus dicere? adimplerunt quod in Levitico mandasti: Si omnis Israel per ignorantiam peccaverit, offerat pro peccato vitulum; Ecce me obtulerunt tam in vitulis, quam alijs sacrificijs significatū. Typum quidam huc accommodant è 1. Sam. 3. v. 3. Dices: quī conveniet hoc cum eo, quod Nicodemus, collegarum suorum nomine, scimus, inquit, quia à Deo venisti Magister Ioan. 3. v. 2, & quod Christus ipse ait, Iudæos non esse cæcos Ioan. 9. v. 41. Non inquiram rigidius, in solutiones Bedæ, Thomæ. Sunt qui multis de ignorantia iuris affectata (quæ tandē solet desinere in Pharaonis blasphemiam Exod. 5. v. 2.) & facti inconsiderata, hīc Rhetoricantur. Simplissimum & verissimū est, ut dicas, *nescire*, esse idem, quod non considerare peccati gravitatē, Dei iram: Conf. Ioh. 13. v. 7, de significatione vocis. Sic multi nō ita delinquerēt, si peccati gravitatē & pœnæ atrocitatem rectē aestimarent. Et huc quadrat optimē græcū *ὀιδαν*, itemq; locus 1. Ioan. 2. v. 4. Ad posterius respondeo è Canone Theologico: in scriptura sacra sæpe res describuntur κατὰ δόξαν non κατὰ τὸ εἶναι, non ut sunt, sed ut apparent. Exempla extant Gen. 3. v. 1. c. 32. v. 24. 2. Cor. 4. v. 4. Phil. 3. v. 19, quo & quicquid leuiticæ contradicant, rectē refertur locus 1. Sam. 8. v. 13.

33. Ignorantia malorum omnium mater est. Hinc duo Christianismi generalia sunt capita, *ἡγάπη καὶ πίστις* Tit. 1. v. 1. Caritas friget, ubi fides non viget. Unde quæritur: quantum planè necessarium sit scire de rebus fidei, si velis salvus fieri? In qua quæstione explicanda, ruditatis Magistri, nescio quid sibi somnient. Quorum nonnulli, an fortē homines metu liberare volunt, de peccato commisso in Spiritum sanctum? Nam hoc non nisi ab ijs, qui veritatem norunt, committi certum est. Nempe hi sunt isti *pastores*, vel custodes, qui circumeunt urbem, Ecclesiam autem percutiunt & vulnerant Cant. 5. v. 6. Explicabimus autem totam rem in ipso disputationis actu.

34. Cæterum monet nos Christus hoc exemplo, ut defectus ac peccata proximi, in quantum opus est, excusemus; quo

C

Ole-

Oforius refert locum Proverb. 14. v. 9. Minus scitè. Rectius Prov. 30. v. 10. Ubi simul pulcra primi & secundi Adami, notanda venit dissimilitudo. Primus Adam Sponsam suam in Paradiso omni modo accusat, omnemq; culpam in costam derivat, Secundus, sponsam suam operosè excusat.

35. V. Quomodo PETIIT? Cum fervore, clamore valido, & lacrymis, Heb. 5. v. 7. Lacrymas profudisse Christum, in passionis quidem historia non legitur. Nihil verò à lacrymis abfuere grumi sanguinis, lacrymæ cruentæ, & mœstissimi gemitus in horto ad Patrem, notante Ambrosio. Respicitur etiam, verbis Epistolæ ad Hebræos, simul ad dolores infernales, & internos, quos Christum, sensisse negant Iesuitæ, & Novelli Photiniani. Nos affirmamus, ex Esa. 53. v. 5. Galat. 3. v. 13. Ita tamen, ut damnemus blasphemias. *Præmonstratensis*, Apostata, quod Christus desperarit: itemq; *Ioannis Calvinii*, hominis damnatæ memoriæ, & cum CALVINO, cujus juvenalis meminît Satyr. 13, comparandi, qui eundem errat errorem, si rectè verba ejus consideres. Clamor Christi fuit efficacissimus, longè superans efficaciam clamoris militum Iosue: Ios. 6, Græcorum apud Plutarch. *in vit. T. Q. Flaminij*. Exemplo autem Christi cum impiam illam spontaneamq; Flagellorû crucè (pro qua aliquot libros conscripsit *Gregerus*.) Iesuitæ tueri volunt, absurdissimi sunt.

36. Vidimus hæctenus, quomodo Christus respiciat homines generalius, Specialius, ostenduntur homines, in verbis Christi: Maria, cum discipulo, sub cruce stans, & latro in cruce pendens. Utriq; Dominus in Testamento suo, aliquid decernit. Primò, MARIE sub cruce stãti. Stanti, licet non ideò, ut esset liberationis nostræ coadjutrix, quæ *Salmemonis* & *Oforij* blasphema conclusio est. Erant Maria & Ioannes quasi duo Cherubini Exod. 29, qui respicientes propitiatorium, versis vultibus se respiciunt, Christum aspiciunt.

37. Apophthegma, vel verbum ipsum, est summæ caritatis, ita sonans: Ioan. 19. v. 26. 27. *MULIER ecce Filius tuus: Ecce mater tua.* Quartum hoc Christi verbum facit P. C, sed contra omnem Evangelistarum, seriem, Secundû hoc verbum esse, rectius dicitur, in quo regulæ Christi Ioan. 13. v. 1 egregiû exemplû, Condebat Christus non modò publicum, sed & domesticû testamentû, & vel idcirco inter matrem, jam quinquagenariam, & discipulum, quem diligebat. Ioan. ult. v. 20, quem fratris loco habebat, pietatis dividebat officia. Ecce: In immensis licet esset angustijs, matrem tamen suam non negle-

neglexit, quippe qui & aliàs est orphanorū pater Pſal. 10. v. 14. viduarum vindex Pf. 68. v. 6. 146. v. 9. Mal. 3. v. 5, quarū curā vult agi ſeriam Exod. 22. v. 22. Ier. 22. v. 3. Ezech. 7. v. 10. Cumq; nullum amplius haberet membrum liberum, exceptis oculis & linguâ, de utroq; matri ſervire dignatus eſt; utrumq; matri intendit, aſpiciendo & alloquendo, ut judicaret, quod eam ipſe geſtaret de mundo exiens, quæ illum ſuſceperat corpore in mundum intrantem.

38. Fluunt hæc omnia, è præcepto morali, de honorandis parentibus, ut rectè Auguſtinus monet. Moralia autem ſunt perpetua.

39. Errant ergo Antinomi, Anabaptiſtæ, qui Decalogum, præcepta Dei moralia, ex Eccleſia proſcribunt & eliminant, præunte *Ioanne Iſlebio* anno 1538. Legem Dei, non pijs & verè credentibus, quippe qui ſuâ ſponte, inſtinctu & impulſu Spiritus S. ea agant quæ Deus ab ipſis requirat, ſed tantum impijs, infidelibus, & non agentibus pœnitentiâ, proponendâ, atq; apud hos ſolos urgendam Libertini hi diſputant. Contra. ſi primi parentes, etiam in ſtatu innocentix & integritatis, ſuam obedientiam, ſine lege Deo neq; probare neq; præſtare potuerunt, neq; immò multo minus, id ſine lege præſtabunt, poſt lapſum, renati, ut qui ad tantam perfectionem & virium integritatem in hac vita aſpirare nequeant: quorū regeneratio imperfecta eſt, ut perfacilis lapſus ſit, vel ad raptus arcanos cum Enthuiſtiſtis; vel ad carnis licentiam cū Lange-wilcarijs, vel ad *ἡρεσθησῆναι* cum Pontificijs, vel ad ſpiritualem ſuperbiam, cum juſtitiarijs. At verò primi parentes, ſine certa & expreſſa lege, Deo obedientiam præſtare non potuerunt. Quare multo minus renati.

40. Errant ergo & ij, qui morales præceptiones in forenſes vel ceremoniales transformant, & abolitas judicant. *Ut Pontificij*, qui non omnia præcepta Levitici c. 18. & 20. de gradibus cognationis eſſe de jure naturæ ſive morales, contendunt. vide Bellarm. *de matrim. c. 27.* Contra. Quæcunq; leges obligant gentes, ut ob transgreſſionem earum puniantur, illæ Morales ſunt. At iſtæ prohibitiones obligant gentes, ut propter earum transgreſſionem puniantur Levit. 18. v. 24. *Ut ijdem*, cum multis alijs, quando ficti-tijs quibusdam diſtinctionibus Uſuras tuentur. Quæ res quantas circa annum Chriſti 1588 turbas dederit in Eccleſia, aliàs florentiſſima, Ratiſbonæ, videris in centur. 26. Oſiandr. fol. 1094. Nos

omnem usuram, quocumq; veniat nomine, ut rem per se malam,  
& illicitam, moraliter prohibitam & damnatam dicimus. vide  
Psal. 15. v. 5, collatum cum Ezech. 18. v. 13, 22. v. 12. 13. Prov. 28. v. 8.  
Hinc vel solæ Usuræ faciunt, ut multi, qui titulum Christianorum  
gerunt, ne quidem Publicanorum multorum gradum attingant,  
sed infra illos existant. *Ut Calviniani &c.*, qui, Sacerdotum Iudaico-  
rum iudicium à Prophetis toties reprehensum, secuti, populo  
D E I cum populo hæretico licitum esse putant, consulto fœ-  
dus Patrocicini & mutui auxilij, ob defensionem à hostibus, vel  
alia politica commoda, inire, cum tamen moraliter illa fœ-  
dera prohibita sint in Exodo, Deuteron, passim in Prophetis,  
adeoq; habeant certissimè comitem, Dei iram; ut aliàs, *ὄν Θεῶν*,  
prolixè ostendemus. Quæ enim circumferuntur, sub nostro no-  
mine, pro nostris non agnoscimus.

41. Sunt autem in verbo hoc Christi consideranda distinctim  
I. MARIÆ ASPECTIO. Vidit Iesus Mariam sub cruce vel  
arbore stantem, ut antea Zachæum super arborem Luc. 19. Ver-  
tempore nobiscū manent hirundines, hyemali aufugiunt: sic infi-  
deles amiei florido tempore nos comitātur, horrido nos deserunt.  
vide Thren. 7. v. 2. Maria tamen, cum paucis, Christum in cruce pen-  
dentem sequitur, immo stat sub cruce. Quo enim quis Deo car-  
rior, eo cruce propinquior Ebr. 12. v. 6. idq; respectu 1. divinæ ju-  
stitiæ Ier. 30. v. 17, II. Misericordiæ Ebr. 12. v. 6, III. Amicitia:  
Ioan. 16. v. 20, IV. Convenientiæ Rom. 8. v. 29, V. Sapientiæ:  
Psal. 42. v. 6, VI. Omnipotentia 2. Cor. 12. v. 9.

42. Quod tamen cum Pontificijs non ita accipiendum, quassè  
remissâ culpâ maneat in pijs reatus alicujus pœnæ: Neque  
enim crux illa, quæ pijs immittitur à Deo (licet ita Maldonatus in  
historiâ passionis p. 640. contendat, cum Iesuitis, Arminianis, Vor-  
stianis) propriè pœnæ rationē habet. Probo: Qui habet pacem cum  
Deo, illos non potest manere pœna à Deo. Iustificati per fidem  
pacem habent cum Deo. Rom. 5. v. 1. Ergo eos non manet pœna à  
Deo: ergo crux illis immissa, pœnæ exquisitè dictæ rationem non  
habet.

43. Pia Chrysofomi observatio est, considerandum esse, quo-  
modo imbecillius genus, mulierum videlicet, virilius apparuit,  
juxta

juxta crucem stando, fugientibus discipulis. Nam virtus Dei in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12, v. 9.

44. Stabat Maria sub cruce. Sed & quicumq; stat Rom. 14. v. 4, fide stat Rom. 11. v. 20. 2. Cor. 1. v. 24, & gratiâ Rom. 5, v. 2, hoc est, meritis crucis stat. Hinc causâ formalis justificationis nostræ, constâti Ecclesiarum nostrarû sententiâ (neq; enim hac de re quinq; ut *Bellarminus*, vel viginti duæ, ut *Salmeron* mentitur, apud nos discrepantes fœtetiæ) est in remissione peccatorû, & imputatione justitiæ & passionis Christi, (quæ duo non differre ut partes, rectissimè contra jeunos quosdâ Grammaticos asseritur) non, ut *Osiander* delirabat, in essentiali Dei vel Christi justitia inhabitante, non, ut moderni *Iesuitæ*, in renovatione vel justitia inhærente; modernos intelligo, & *Iesuitas* intelligo, nam inter ipsos Pontificios, etiam recentiores, & *Iesuitas* superiorû annorû, tot circa causâ formale dissensiones sunt, ut vix numerari possint. Nosram sententiam corroborat, & adversariorum abundè profligat, vel sola definitio justificationis Apostolica Rom. 4. v. 6. 7. 8. Age *Papista*: Justitia, quâ coram Deo justificamur, non est nostra. Rom. 10. v. 3. Phil. 3. v. 9. At inhærens justitia est nostra; quanquam enim ratione efficientis donum Dei sit; tamen ratione subjecti nostra est. Conf. Matth. 6. v. 11. Ergo. Vis ex hypothesi? ut evincas, *Bellarmino*, concreatam *Protoplastis* justitiam, non fuisse donum naturale; puta, non constitutivè, non consecutivè, sed subjectivè, perfectivè, & transitivè ita dictum, sed supernaturale; non fuisse intrinsecum, ad ipsius naturæ perfectionem pertinens donum, sed extrinsecum, naturæ humanæ superadditum, nihil ad perficienda naturalia pertinens, quomodo argumentaris? Recordarisne? ita conclusis *c. 6. de grat. prim. hom.*: Scribitur *Eccles. 17. v. 2*, Deus hominem vestivit virtute: ibi justitia originalis comparatur indumento, indumentum autem esse extrinsecum, homini superadditum. Non dicam de argumenti hujus infirmitate, quasi vox vestiendi semper aliquid externum notet, videsis exempla contraria *Iob. 10. v. 11. Matt. 6. v. 30*, sed in præsens, exinde sic infero. Quod vestimento in sacris confertur, id extrinsecum non intrinsecum esse sequitur. Major *Bellarmini* est. At justitia nostra, quâ coram Deo justis sumus, confertur cum vestimento: dicitur vestimentum salutis *Isa. 61. v. 10*. Non ergo erit inhærens illa & intrinsecum. Quid



verò est mucronem ensis in se ipsum convertere, si hoc non. 45. Meritis Crucis Christi nos stare, jam dixeram. Quod cave, ne cum *Parfimonio* Pastore Anhaltino, *Piscatore* Herbornensi, *Martinio* Bremensi, *Tileno* Gedanensi, *Goelenio* Marpurgenfi, ita accipias, quasi Christus, exclusâ activâ sive vitæ obedientiâ, justificationem nobis meruisse existimandus sit. Est, qui eundem ait errare errorem Pontificios, & hanc in rem citat concilium Tridentinum, Bellarminum. Non ausim autem ijs hoc imputare, & hostibus licet, impingere sententias, quas nesciunt. Statuimus nos, Christum notî solum passivâ sed etiam activâ suâ obedientiâ esse causam nostræ justificationis meritoriam. Nam si sola pœnarum persolutio posset dici impletio Legis, sequeretur, damnatos in inferno legem implere, sustinendo pœnam æternam in lege prædictam. Absurdum. Et sufficit contra Piscatorianos, vel unus locus Apostoli Gal. 4. v. 4. & 5. Excipit *Piscator*: Christum factum esse sub lege, ratione solius maledictionis, seu passionis, idq; probat, ratione duplici: 1. è Rom. 6. v. 14: Non estis sub lege *ὑπο νόμον*. Ubi phrasis illa, *ὑπο νόμον εἶναι*, non potest significare, sub obedientia esse. 2. Si è loco Galat. 4 argumentum nostrum procedere debeat, vi *ἀντιθέσεως* etiam secuturum, quod ab obedientia legis nos liberarit Christus, nec teneamur illi amplius obedire, quod *ἀθεόλογον*. Respondemus 1. Christus non partem tantum debiti nostri, sed totum plenissimè solvit. Totum autem debitum nostrum constabat obedientiâ & pœnâ. Non ergo pœnæ ratione tantum sub lege factus dici potest. Immo 2. Si ratione maledictionis, ergo etiam ratione obedientiæ fuit sub lege. Quia à maledictione divina justitia non absolvit, nisi satisfactum sit exactâ obedientiâ. Tum ad prius effugiū Piscatorianum, dico 1. Non sequi hoc argumentandi genus in ijs, quæ sunt *ὡς τῶν πολλοῦν λέγουμεν*. 2. Si exhortationis Paulinæ argumentum Roman. 6. v. 14 ipsi exhortationi v. 13. debet esse homogeneous, omnino phrasi illi obedientia includitur, obedientia dico, non quomodocunq; dicta, sed grave illud & intolerabile jugum perfectæ obedientiæ. 3. Quod à phrasi Paulina (*ὑπο νόμον εἶναι*) significatio illa non sit aliena, quæ est, de obedientiæ subiectione, probo ex ejusdem c. v. 21: Dicite mihi, qui *ὑπο νόμον* vultis esse? Quæro enim, quomodo Galatæ volue-

woluerint vel appetierint esse *ἰσὺν νόμον*? An ratione maledictionis? Absurde! Ergo ratione obedientiæ. Ad posterius, infirmam istâ & Piscatore dignâ futelâ esse, ajo. Si enim intelligas obedientiam simpliciter dictam, nego affirmare Apostolum, ab ea nos Christum liberasse; sin obedientiam Mosâicam, affirmo: & sic nullus erit concludendi nervus.

46. II. In verbo Christi est consideranda MARIÆ APPELLATIO. *Ecce mulier filius tuus.* Respicit ad Luc. 2. v. 35. In ingressu mei in hunc mundum nullum sensisti dolorem Maria, neq; enim nisi clauso utero, non autem ruptis claustris virginalibus peperisti (licet Calviniani contradicât) ceu mulieres aliæ Gen. 3. v. 16, quæ sæpe cum Rebecca indignantur Gen. 25, sæpè cum Rachel mortem cum vita commutant. Genes. 35. v. 19. Ecce nunc in egressu sentis, quod nō sensisti in ingressu, dolorē sentis majorem, quàm Iacobi Gen. 37, Davidis 2. Sam. 18, Matris Iudaicæ 1. Reg. 3, Matris Tobiæ Tob. 10. Quos tamen dolores Mariæ non exaggeramus, cum Pontificijs, quasi non minus, immo plus quàm Christus passa sit: illa intus, iste extus, & quasi Mariæ etiâ passio nobis imputetur. Nugæ. Caterū *ἰδὲ καὶ ἰδὲ*, Ecce & vide, sunt aut 1. Spiritus S. asteriscus, ut Ioan. 9. v. 29. 7. v. 57. 19. v. 14. Marc. 13. v. 1, aut II. nota promptitudinis Luc. 1. v. 38. Heb. 10. v. 5. Psal. 40. v. 8; aut III. nota affirmationis & certitudinis Gen. 1. v. 29. c. 16. v. 2, aut IV. nota præsentis exhibitionis. Genes. 29. v. 2, Exod. 32. v. 9, aut V. nota expletionis, ut sint ferè ociosa, Exod. 31. v. 6. Hic quarta in primis significatio obtinet.

47. Quod Mariam non matris sed mulieris appellat nomine, id quidam explicant è Pontificijs, *Maldonato* tamen contradicente, quasi eam desertam & jam viduam fuisse significare voluerit. Eo inclinât quoq; *Aretius*, alij, & olim *Epiphanius*: cui Cyprianus vix assentitur; à quo si quæras, cur Christus vivo Iosepho negotium sic ordinavit, ut virginem Ioanni traderet, respondet, quia iam exigebat ratio, ut conjugij removeretur opinio, neq; ultra pater Christi æstimaretur, qui vicem tantum Patris & conjugij tenuerat. Cyprianum sequitur *Ambrosius*. Quidam, apud Hebræos, filios matres appellare soluisse divinat, & fuisse nomen mulieris: Hebræum blandius, quàm nomen matris. Ideo potius factum dicimus,

mus, vel, quod periculo eã subducere, vel, quod à cultu Mariæ super-  
stitioso homines avocare, vel, quod promissionis primæ Gen. 3. v. 15  
(quã Calvinus de uno Christo intelligendã malitiosè negat) cū ipsã,  
tū nos omnes admonere voluit, indicã in opere redemptionis, ha-  
bere se illã instar alterig; cujusdã mulieris, ad quod ipsa de suo nihil  
conferret; vel etiam, ne, *Lyra* dicente, vocabulo matris cor maternum  
plus nimio afficeretur, conficeretur, ne afflicta afflictionem adde-  
ret, Ne materna pium laniarent viscera nomen, ut piè Mantuanus,  
vel deniq;, ut se ipsi in posterum corporalem illam præsentiam &  
mutuum Matrisq; Filijq; amplexum substracturum ostenderet.

48. III. COMMENDATIO. Matrem enim Ioanni  
commendat, ceu tutori, licet ex modestia suum nomen supprimat.  
Sic Mardocheus olim tutor fuit Estheræ Esth. 2. v. 7. Quidam, cum  
Maldonato, existimant, commendari Mariam Ioanni, non Ioan-  
nem Mariæ; rectius, qui commendationem volunt esse recipro-  
cam, collocantes Metaphoram in vocibus Matris, Filij. Monemur,  
ut quilibet suos curet, 1. Tim. 5, ante mortem suorum rationem  
habeat Esa 38, cum Josepho, & exulante licet, Davide, Christi Ty-  
po 1. Sam. 22, hoc est, scripturæ phrasi, eos honoret.

49. IV. OBSECUNDATIO. Joannes istam suscepit.  
vixerunt simul, ut vidua & Elias 1. Reg. 17. Hinc sensit Ioannes  
quarti præcepti promissionem, longævitatem; nam annos 68 post  
hæc vixit: quod probè notandum existimo. Eo enim rectius satis-  
fiet quorundam latratibus, auctoritatem Apocalypseos inde tra-  
ducentium, quia Apocal. 2 epistola extet ad Ecclesiam Thyatiren-  
sem scripta, quæ tamen longè post ætatem Ioannis constituta sit.  
Quam objectionem Epiphanius, & qui eum sequuntur, infelici-  
ter expediunt. Sensit & mortis lenitatem.

50. Non sine Emphasi in græco est, *εἰς τὴν οἰκίαν*. Lutherus  
& Genevêses, *ad se*, Tremellius, *apud se recepit*, Tossanus & alij, in suam  
curam & tutelam. Ambrosius explicat, in suum jus, itemq; in sua  
spiritualia bona: Minus aptè. Vulgatus vertit, in suã nempe domũ,  
vel domũ suam recepit ut Beza & Piscator. Sic sumitur hæc phrasis  
Act. 21. v. 6. Esther. 5. v. 7. Confer. 1. Thess. 4. v. 11, ut sit Metony-  
mia adjuncti, nam suas quisq; facultates domi suæ habere dicitur.  
Neq; enim valedixerant suis discipuli, quoad usum. Hinc Nice-  
phorus scribit, Ioannem patria bona divendisse & Hierosolymis  
domum

domum emisse, in qua unà cum Maria ad annos II. vixerit, priusquam se conferret in Asiam.

51. Noto id, adversus non modò veteres Platonicos, Essæos & Carpocratianos, sed & recentiores Hutterianos, Anabaptistas, Photinianos, pro bonorum communione, adversus divisionem, diversâ quidem viâ, eodem tamen scopo, disputantes. Ad quos quadantenus accedunt Monachi, in abjicienda rerum proprietate opus perfectionis constituentes, & spontaneam, in affluentissima omnium rerum copia, paupertatem viventes. vide Bellar. l. 2. de Monachis c. 20. contra 1. Cor. c. 7. c. 8. c. 16. 2. Cor. 12. 1. Theff. 4. & quod incommoda plura, quàm commoda, è communione bonorû proveniunt, vel hinc apparet, quod communio illa bonorum Hierosolymitana, non admodum diu duravit, ut eleganter Clemens.

52. Si allegoriam, cum Pontificijs, quæramus, (quod tanto rectius fieri à nonnullis existimatur, quia non Ioannis nomen sed discipuli generalius exprimitur) conjunctio hæc Typum habet Ecclesiæ, Mariæ spiritualis, quæ semper adhæret Evangelistis & Apostolis Eph. 2. v. 2, semper suos habet nutritios Esa. 49. v. 23. c. 60. v. 4, providos Ioannitas Actor. 20. v. 28, nec mater sine filijs, nec filij sine matre, in domo Dei, etiam inter maximas ærumnas, futuri.

53. Audi verò Papista! I. Sic Maria Typum gerit Ecclesiæ, Ioannes Doctorum; commendatur ergo Doctoribus, ut pro salute Ecclesiæ vigilent. Sed Ioanni commendatur, non Petro. Quid ergo hic Petri successores? Ubi cura universalis Ecclesiæ, quam Papa sibi arrogat? Evanescit. Quanquam, quî Papa Petro, quem unquam Romæ fuisse, demonstrari nequit, succederet? Papa, qui est ipsissimus propriè dictus ANTICHRISTUS, de quo magnam partem vaticinia completa habemus, complenda, paulo post, partem aliquam, habebimus. Brevissimè: Si Pontifex Romanus est Petri successor; erit aut ratione doctrinæ, aut ratione vitæ, aut ratione provinciæ, aut non erit. At nec ratione doctrinæ, quod sedecim, nec ratione vitæ, quod octo, nec ratione provinciæ, quod duodecim, præcipuè à nostratibus evictum est argumentis. Ergo.

54. Audi verò Papista! II. Si Maria Typus Ecclesiæ, Ecclesia nusquam

D

quam

quam absque tutore erit. concludimus ergo, veram & Apostolicam religionem, vi promissionis divinæ, semper extitisse, etiam si ubi locorum fuerit, exponere non valeamus. nec absurdum erit, quod Iesuitæ putant absurdum esse, Ecclesiam quandoq; fieri invisibilem, Ecclesiam Christi quandoq; esse in statu exinanitionis, ut Christus. Quin si morosè à nobis exquirant, ubi ante Lutherum Ecclesia Christi fuerit, vicissim ab ijs postulabimus, ut perspicuè ostendant, ubi vera religio, & Ecclesia extiterit ante Christi adventum, cū publicè nõ nisi corrupta religio Pharisaica proponeretur? Respondeant, & quicquid solidi responderint, sibi responsum habeant. Ita fuit, & illic & hic, ut dicitur 1. Sam. 3. v. 1: Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. Quanquam quomodo & apud quos religio nostra in Papatu, ante Lutherum, conservata & propagata fuerit, non erit usq; adeo difficile monstratu, etiam quantum cœtus integros. Certè & hinc prodijt anno 1389, sub ipsis Papatus tenebris, consideratio passionis Dominicæ, ita Orthodoxa, ita Lutherana, ita Antipapistica, quàm quævis alia. Ubi tamen, ob novellorum argutias, accuratè inter duplicem accessum ad Ecclesiam, localem & spiritualem, discernendum est.

55. Verbo tertio respicit alterum ex latronibus, in cruce pendentem. Cor habet Dominus apertum ad diligendum, caput inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum. Si enim exaltatus fuero à terra, ad me omnia traham, ait Dominus Ioan. 12. v. 32. En hinc impletionem. Verbum ad Latronem ita sonat: Luc. 23. v. 43 *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso.* Esaia: 43 v. 20 ait Dominus: glorificabit me bestia agri. Bestia agri fuerat iste latro grassator, qui in vijs interficiebat homines, ut illos spoliaret. Ecce bestia ista nunc Christum glorificat. Prius causam Christi agit, quàm universus mundus. Videt novissimum virorum Esa 53, at confitetur esse primum virorum, Regem nempe cœlestem. Benedicti sunt Sem & Iaphet, quia cum irrisus esset Noe à Cham, illi Patrem operierunt; cur non benedicatur latro hic à Christo, qui nudatus in cruce, est amore ebruius, irrisus à gētib; & Iudæis, sed à latrone commédatus, vide 1. Sam. 2. v. 30. Eximie tollitur Magorū fides, quod Christū adoraverint in stabulo jacentem, sed major fides latronis, qui eum adoravit in cruce pendentem.

tem. Credidit Abraham, sed è cœlo loquenti: credidit Moses, sed è medio ignis peroranti: credidit Esaias, sed super thronum excelsum sedenti: Crediderunt, cum alijs, Apostoli, sed miracula facienti: credit & latro, sed in cruce ignominiosa pendenti. Tantam fidem in Israel non invenit!

56. Estque hic I. PECCATOR POENITENS. II. SALVATOR RECIPIENS, & absolvens. Peccator est latro. Cujus notatur pœnitentia vera & mirabilis. nam repente ex summo in summum mutatus est, Apostolis longè doctior, constantior, fide mirabilior. Videns lignum, confitetur regnum. Pœnitentiæ partes occurrunt 1. Contritio. Digna, inquit, ferimus, nihil verò iste malè. Conf. Pf. 51. v. 6. Mich. 7. v. 9. II. Fides è cõcionibus & miraculis Christi concepta. *Memento mei*, in quâ voce, quidam *Postillatores*, Pontificios secuti, nescio quas argutias. Meminisse alicujus, est, opitulari, phrasi scripturæ Gen. 40. v. 14. Psal. 25. v. 7. Pœnitentiæ fructus sunt, quod increpat prœximum, &, ut conversioni sese dedat, hortatur. Conf. Psal. 51. v. 15. 2. Cor. 7. v. 10. Noluit admonitionem proximi negligere, quod faciens Jonathan, ob id in bello petijisse, Hebræis dicitur 1. Sam. 31. Eli certè neglectio- nis pœnam expertus. 1. Sam. 2. Argutum huc pertinet, quod *Clemens Alexandrinus*, Matthiæ Apostolo usitatum fuisse ait dictum: Si Electi vicinus peccaverit, ipsum Electum peccasse.

57. Hinc ita concludo: Quot partes essentielles in ipsa praxi verè pœnitentiũ conspiciũtur, tot partes essẽtiales veræ pœnitentiæ sunt constituendæ. Ratio consecutionis pendet, è perpetua relatione Theoriæ & πρᾶξις. Atqui in praxi verè pœnitentiũ duæ partes essentielles conspiciuntur, contritio & fides, ut hîc in pœnitentia latronis. Ergo. Falluntur ergo Calviniani, qui negant contritionem & fidem esse pœnitentiæ partes. De contritione Calv. l. 3. *inst. c. 3. s. 2. 7.* Beza *contra Heshuf. vol. 1. fol. 323.* Bucanus *in inst. loc. 30. q. 12.* De fide Calvin. *ibid. s. 5.* Beza *ibid.* Bucanus *de pœn. q. 6.* Idem volunt Papisequæ; quod de fide planum est. Contritionem quidem pœnitentiæ partem esse fatentur, at quia definitionem contritionis tollunt, tollunt & ipsam, h. e. pœnitentiæ partem esse negant. Falluntur ergo & Iesuitæ, tres eudentes partes pœnitentiæ: Contritionem, quam definiunt per externa contritionis signa, confessionem, & satisfactionem.

58. Affixus cruci latro cor & linguam offert CHRISTO,

D 2

ut,

ut, juxta scripturam, corde credat ad justitiam, ore confiteatur ad salutem Romanor. 10. v. 10. Quæritur ergo: Num homo Evangelicus possit, salvâ conscientia, si non aliter, tamen quoad externos ritus, se accommodare adversarijs: v.g. coram Idolo Missatico pro cedere, & similia, more Papistico, peragere? Negadum hoc esse, rectè concluderunt Principes Protestantes anno 1530, è 1. Cor. 10. v. 21. & seqq. Objiciunt Politici quidam, exemplum Naemanis Syri, è 2. Reg. 5. v. 15. & seqq. at illi jam antea abunde, à Nicolao de Lyra tom. 1. fol. 365, Ioanne Brentio tom. 2. fol. 998, satisfactum est.

59. II. Est hîc SALVATOR RECIPIENS. Crux Christi non solum tormentum judicati, sed judicantis quoq; quasi quoddam tribunal fuit: nam ut alterum latronum justè reliquit, sic alterum, pœnitentem, misericorditer assumpsit. Quis ergo desperet, si in cruce Lâtro salvatus est? ait Augustinus. Exemplum consolatorium, præ multis alijs. Ne tamen, exemplo hoc, pœnitentiam differendam existimes. Periculosum hoc est. Psal. 95, v. 7. 8. Eccles. 5. v. 8. 9. c. 18. v. 22. Prov. 1. v. 24. Nam ecce unus lâtro est, cui hæc gratia obrigit: alter damnatus est. Timoris ergo argumentum inde petas: trahunt enim iram Dei peccata, tanquam cæcias nubes. Augustinus unū hoc latronis exemplū dilatae conversionis ad horâ mortis, & tū obtetae, in sacris occurrere monet. Nostro tempore exemplū singulare, quod cõtigit, recitat Selneccerus 4. part. examin. f. 206. Si mille periissent ex cibi alicujus perceptione, uno tantum miraculosè servato, tune illum gustares? Satius nederes, peccata relinquere, quàm à peccatis relinqui? Proverbium antiquitatis est: Rarò verum, quod serum: & Proverbium est biblicum: Adolescens imbutus, juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22. v. 6.

60. Refutantur hinc non veteres tantum Novatiani, Cathari, & similes pœnitentiæ interfectores, ut cum Cypriano loquar, sed & Photiniani moderni, disputantes, Si quis in peccata mortalia, voluntaria, & contra conscientiam, prolabatur, & non statim simul ac ea commisit, de iisdem verè doleat, & pœnitentiam agat: illum postmodum nullam amplius consequi posse remissionem peccatorum, si maximè cum lacrymis eam quærat ac desideret. Nullum enim à Deo pro peccatis voluntariè & *en περιπέτειας* commissis desti-

destinatum unquam fuisse sacrificium: *Dann unwillige Sünde habe kein Opfer* / Heb. 10. vide Sommerum, Neuserum, & alios, in tractatibus editis anno 1583. Quibus, in præsens, exempla remissorum peccatorum, & inter hæc Latronis hujus oppono. Excipit Sommerus p. 70: Exempla interdum remissorum peccatorum, non constituere regulam, quod Deus semper debeat aut velit remittere peccata. Alienè! Si enim apud Deum nulla est *ἀεὶσωπιθήσια*, ut non est Rom. 2. v. 11, ergo, quo misericordiæ affectu unum aut alterum peccatorem pœnitentem, quorum sacra nomenclatura meminit, est profecutus; eodem profequitur singulos & universos per pœnitentiam redeuntes.

61. Sic autem Salvator latronem absolvit, ut juramento absolutionem confirmet: Luc. 23. v. 43: *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso*. Verbum est summæ veritatis. Particula, A M E N, in sacris sumitur tripliciter; aut enim est optantis, cum in imprecationibus Deut. 27. v. 15. 16. Num. 5. v. 22, tum benedictionibus Psal. 41. v. 14. 1. Cor. 14. v. 16, aut propositam promissionem fide accipientis Luc. 1. v. 38. 1. Par. 16. v. 36. Jer. 11. v. 5, & (rumpantur licet Piscator, Erasmus) Matth. 6. v. 13, aut affirmantis & asseverantis Esa. 65. v. 16. 2. Cor. 1. v. 10, & hoc loco. In græca V. T. versione, aliquando redditur per verbum *ἀμην* Deut. 27. v. 15. & ult. Psal. 41. v. 14. 1. Reg. 1. v. 36. Num. 5. v. 22, aliquando per adverbium *ἀεὶ* Jer. 28. v. 6, aliquando ipsa vox Ebræa relinquitur 1. Par. 16. v. 36. Jerem. 11. v. 5. Nehem. 8. v. 6. Tob. 9. v. 12. In Novo Testamento ejus alicubi ponitur interpretatio. Conf. Marc. 12. v. 43. Luc. 21. v. 3.

62. Exemplum Christi jurantis refutat Essæos, Manichæos, modernos Franciscanos, & Anabaptistas, negantes, Christianis licitum esse, necessitate ita exigente, jurare. Quibus adde Photinianos novellos, qui in *Catechesi Racoviensi* disputât, quod nec in rebus veris liceat jurare, nisi gloria Dei ad juramentum nos cogat p. 186. At pro salute etiam proximi jurare, in N. T. licitum esse, exemplum hoc Christi ostendit, & epistola Heb. 6. v. 16.

63. Adverbium HODIE, quidam, cum sententiam intelligere non possent, retulerunt ad verbum, dico: Amen dico hodie tibi. insipide. Alij de futuro judicio & resurrectione inter-

pretati



pretati sunt. Absurde. Nam illud, *hodie*, illi Latronis verbo, cum veneris in regnum tuum, respondet. Nos ad literam exponimus, quod anima simul ac è corpore esset discessura, non alium, nisi vitæ & beatitudinis æternæ locum sit occupatura: æterna illa vivaria, seu P A R A D I S U M.

64. Paradisum quidam de loco Eden accipiunt, ubi fuit terrestris Paradisus. Sic *Theophylactus* & *Euthymius*. At falsò: cum Paradisus ille per diluvium jam tum perierit. Nam quod superesse cum hodieq; rentur Iesuitæ, Judaicum somnium est. Pontificij Limbum Patrum intelligunt, quem Bellarminus astruit *l. 4. de anim. Christ. c. 11.* At limbus iste figmentum est. Ioh. 5. v. 24. Pro cœlo paradisum accipiunt, è Græcis, *Cyrellus*, *Nyssenus*, *Chryostomus*, è Latinis, *Augustinus*. Singularem locum fabricat *Tertullianus*, & Paradisum definit, locum divinæ amœnitatis, recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, quem sequuntur quidam è Scholasticis. *Nicephorus* quoq; vult, sedem intelligi certam, obscuram, sanctarum animarum, ante resurrectionis diem, cui assentiri, videri possit non injuria, *Irenæus lib. 5. c. 31.* Hujus opinionis quidam faciunt Lutherum *in Gen. 25. & 42:* sed malè: Lutherus enim non tam de receptaculo commorandi, quàm transeundi loquitur. è Patribus tamen quidam, & Pontificij, affirmant, animas beatorum postquam corporibus excesserunt, in cryptis & occultis receptaculis detineri, nec ad visionem Dei admitti. usq; ad extremum judicij diem eas dormire, Anabaptistæ somniât: quin & Pontifex Ioannes XXII, Parisiensibus Theologis mandavit, ne aliter docerent, nullumq; ad gradum Doctoris promoverent, nisi prius illam sententiam probarint. Et certè plausibile huic sententiæ est fundamentum quæsitum ex Apoc. 6. v. 9, ubi sub altari dicuntur esse tales animæ. explodendus error. Obsecro enim, an cū Christo latro quâdo fuit HODIE, ipsum tamen non vidit? & anne animæ piorum longè mihiorem experientur, post mortem corporis, conditionem, ante Thronum Dei, quàm expertæ fuerunt in terra? Hic enim in verbo Deum viderunt, quasi per speculum: illic autem longo tempore Deum planè non viderent. Quæ hæc opinionis dementia? Porro de Stephano scribitur, quod moriturus viderit Iesum. Actor. 7. Si moriturus, multo magis, postquam mortuus, & illustris locus est Heb. 12. v. 22. 23.

65. Intelligimus ergo, per Paradisum, Metaphoricè, beatam  
illam

illam gloriæ Dei sedem, regnum istud omni famâ majus, omni laude melius; quod an esset Papa Paulus III. dubitabat. ita ut sit *παρὰ δὲ τοῦ* non *ἀνωτέρως*, sed *υποτέρως*. Sic sumitur hæc vox, Apoc. 2. v. 7, in Ecclesiastico aliquoties, 2. Cor. 12. v. 4. Et notabilis est antithesis, ad Gen. 3. v. 32. 33. Pertinet huc Canon Theologicus: Deus in scriptura nobis condescendit, ut ipsi consurgamus. Hinc fit, ut verbis hujus seculi futuræ vitæ conditionem describat. Quod non animadvertentes Ioannis Calvini discipuli, & inter hos *Peze-linus & Gravius*, negant de Deo illocali fas esse loqui per adverbia Loci, qualia sunt, eò, ibi, ubi. Cæterum partes comparationis, inter cælum & paradysum, eleganter persequitur Cl. Theol. Dn. D. *Hoe*, cum alibi, tum compendio, p. 1. in *Apocalyps.* p. 215. 216.

66. Voculam MECUM, torquent multi distortè, quos mittam. de sufficientia & perfectione beatitudinis exponi debet. Id enim est, esse cum Christo, omnem boni summi summam, omnes cælorum divitias, omnem gaudij plenitudinem habere; Ibi, ubi vita de verbo sine verbo, de verbo nullo sonante verbo; ut argutè *Augustinus*. Interim tamen gloriam & beatitudinem animarum in extremo iudicio ampliozem & majorem futuram dicimus. Idq; ratione, vel modo, triplici.

67. Utor hoc loco, r. ad Deitatis Christi demonstrationem. Excedit enim humanâ conditionē ista Latroni facta promissio: quæ non tam de ligno editur crucis, quàm throno Majestatis. Non est nudi hominis, sub mediâ etiâ morte, potestatem plenam, omni exceptione majorem habere, aperiundi cælos. Syllogismus ita habet: Cuicunq; tribuuntur opera divina, soli vero Deo propria, is est verus Deus. Quia opera testâtur de potentia; sed potētia & essentia divina realiter unū sūt. Atqui Christo filio Dei tribuuntur opera soli Deo propria, ut opus salvationis, quod solius Dei propriū dicitur *Esa. 43. v. 11. 45. v. 21. Os. 13. v. 9.* Ergo.

68. II. Hinc evinco, Christum hominem, etiam in statu exinanitionis, divinas habuisse proprietates, sibi communicatas: quia in specialibus quibusdam actionibus divinis, majestatis communicatæ radios quosdam interdum elucere voluit, licet actu secundo non semper plenè usurparit.

69. III. Hinc P. Martyri satisfacio, qui *classe 3. locor. comm. c. 16. num. 8*, articulum de descensu Christi ad inferos, interpreta-  
tur,

tur, de emigratione animæ in sinum Abrahamæ. Martyrem sequi-  
 tur Iunius in animadv. p. 178. Non minus absurdè, quàm si descen-  
 sum illum cum *Bucero*, de Christi morte, cum *Piscatore*, de sepultura,  
 cum *Calvino*, de diris cruciatibus animæ, cum *Sohnio*, de toto humi-  
 liationis statu, cū *Cinglio*, de efficacia & operatione mortis Christi,  
 cum *Flacio*, de parte humiliationis & ignominia Christi, cum quo-  
 dam *magni nominis Theologo*, de statu quidem Triumpho, sed tamen de  
 actione, dum Christus adhuc in morte erat, accipere velis.  
 Martyri & Iunio oppono, quod Salvator ad Latronem in  
 cruce ait: hodie mecum eris in Paradiso. Si ergo in in-  
 fernum descendere, idem, quod emigrare ad paradisum;  
 Ergo & Latro in infernum descendit. Αpage hosce ὄγχοι!  
 Quid? quod descendendo ad inferos, Christus se non beatis, sed  
 δαίμονασι, h. e. damnatis spiritibus victorem exhibuisse, & præ-  
 sentiam suam manifestasse legitur. 1. Pet. 3. v. 18. 19. 20. Quin &  
 anima à corpore separata, non in inferno, sed in paradiso fuit.  
 Luc. 23. Ergo soli animæ Christi descensus ad inferos, cum Pon-  
 tificijs, tribui nequit, sed toti Christo.

70. IV. Fundamentum hîc est justificationis & salvationis  
 gratuita, quæ sit solâ fide, absq; operibus, contra Iesuitas, Photinia-  
 nos, & Calvinianis, *Tigurinos*, *Basileenses*, *Herbornenses*, *Marpurgenses*,  
*Heidelbergenses*, *Genevenses*. Equidem: ut Adam, Abraham, David,  
 Daniel, Ioannes Baptista, servus debitor, Publicanus, Paulus, Latro  
 in cruce, & omnes pij Israelitæ & Christiani sunt justificati, ita &  
 nos justificamur. Propositionis copulatio est necessaria Act. 15.  
 v. 11. At illi omnes justificati sunt absq; ullis operibus ac meritis;  
 Adam Gen. 3, Abraham Rom. 4. v. 2, David Psal. 32. v. 12. 142. v. 2,  
 Daniel cap. 9. v. 18, Ioannes Baptista Ioan. 1. v. 27, Servus debitor  
 Matth. 18. v. 25. 27, Publicanus Matth. 18. v. 17. Luc. 18. v. 9. 13. 14,  
 Paulus 1. Cor. 4. v. 4, latro in cruce, qui bonis operibus destitue-  
 batur d. l, omnes pij Israelitæ Psal. 32. v. 1. 2. 6. & 130. v. 2. Esa. 64.  
 v. 6. Rom. 9. v. 30, omnes deniq; pij Christiani, ut publicani &  
 peccatores Luc. 15. v. 1, Hierosolymitani Act. 2. v. 38, Antiocheni  
 Act. 13. v. 48, Athenienses Act. 17. v. 34, Corinthij Act. 18. v. 10,  
 Ephesij Act. 19. v. 10, Romani Act. 28. v. 23. Ergo & nos absq; ul-  
 lis operibus ac meritis justificamur. Ad exemplum latronis re-  
 spondent Pontificij, distinguendo, inter justificationem primam  
 & se-

& secundam. Primam vocant, quæ facit justos ex impijs, eamque dicunt exclusis operibus fieri, & huc pertinere exemplum Latronis. Secundam justificationem vocant, quâ justiores reddimur è justis, idq; per bona opera. Illam habitualem, hanc actuaalem appellent. vide *Cofterum, Bellarminum, Pistorium*. Et primam sufficere in infantibus, in adultis autem præterea requiri secundam, Stapletonus scribit *in Antidotis Apostolicis ad Rom. c. 3. p. 119*. Calviniani distinguunt: bona opera quidem non concurrere ad nostri justificationem, concurrere tamen ad salvationem. Sed unde distinctionis monstrum Iesuitæ probatum dabunt? Anne Latro perfectè justificatus est? Omnino. Ubi verò ejus bona opera? Et quid Paulo respondebunt, qui dicit, justitiam DEI per fidem Iesu Christi esse in omnes & super omnes credentes Rom. 3. v. 22? Quin, si justificatio est prima & secunda; utiq; in prima justificatione, homo ex Dei gratia, & propter Christi meritum, accipit minus, eum ibi fiat ex injusto justus, ex peccatore bonus, ex inimico Dei, amicus & Filius Dei, ut Cofterus loquitur *in Enchirid. de justific. c. 6*; in secunda vero justificatione homo, per & propter sua opera, vitam æternam accipit, majus accipit: ac proinde sublime salvationis officium inter hominem & Christum ita secundum distinctas partes dividetur, ut Christus quidem ipsi meritis sit, id quod minus est; videlicet infusionem virtutum: homo merito proprio mereatur id, quod incomparabiliter majus est, ipsam sc. vitam æternam. At consequens est absurdum. Ergo. Unde etiam Calviniani, fictæ, & simul Papisticæ & Majoristicæ distinctioni, inter justificationem & salvationem, respectu causarum, quærent pariam? Latro certè non tantum justificatus, sed & salvatus est, in paradysum traductus, absq; operibus. Et nos gratis per fidem absq; operibus non modò justificari, sed & *salvari* dicimur Eph. 2. v. 8. 2. Timoth. 1. v. 9. Tit. 3. v. 5. Act. 13. v. 12. Rom. 11. v. 5. Neq; ergo probamus istam Majoris & Calvinistarum propositionem: Bona opera esse ad salutem necessaria, quocunq; modo explicetur. Ut nec illam Marpurgensium, Herbornensium, & aliorum ante hos: bona opera esse necessaria ad salutem, non quidem acquirendam, sed tamen retinendam & conservandam.

71. V. Ex hoc loco respondeo, ad quæstionem controversam:  
An miser peccator, quando in vera pœnitentia, fide, ex verbo

E

Evan-

Evangelij, per Spir. S. concepta, apprehendit promissionem gratiæ, & in ea simul  
 Christi satisfactionem ac meritum, possit ac debeat, certâ fiducia statuere, sibi re-  
 missa esse peccata, & se apud Deum esse in gratia? Negant, cum Phariseis, Pontificij.  
 Et Costerus quidem Tridentini Conciliabuli mentem ita explicat in *Enchirid. cap.  
 de fide p. 209.*: Fidei certitudinem citra omnem dubitationem, NOLUIT Christus:  
 in nobis esse. Prolixè controversiâ hanc explicat Bellar. *l. 3. de justif.* Affirmamus nos,  
 ex tertio hoc Christi verbo. I. Ob divinarû promissionû firmitatē. II. Ob juramenti  
 divini stabilitatem. Amen dico. III. Ob particulæ applicativæ, TIBI, proprietatem.  
 Illû enim particulæ applicativæ, Scio, Scimus, Certus sum, Credo, Credimus, Credi-  
 di, Tibi, Tua, Nostra, Nos, Me, 2. Sam. 12. Gen. 15. Iob. 19. Psal. 116. 1. Ioan. 3. 5.  
 Rom. 8. 2. Tim. 1. 4. Galat. 2. Marth. 9. 15. 2. Cor. 4, valorem habent. Et hæc  
 causa est, cur symbolum olim recitaturi, non dicebant: Credo resurrectionem  
 carnis, sed, credo resurrectionem hujus carnis. Excipit *Belharminus*, se non ne-  
 gare certitudinem, respectu Dei promittentis, sed respectu hominum, qui non pos-  
 sint esse certi, an verè credant, & ut oportet. Idem habet *Pistorius*, alij. Re-  
 spondeo 1. distinctio nihil ad rem. Quia quæstio est: Utrum Deus velit, seris  
 Christianum esse de salute sua certum? teste *Costero*, cujus verba jam recitavi-  
 mus. Affirmamus nos, negant Iesuitæ. 2. Falsa est distinctio, quantum mem-  
 brum posterius; id quod argumento ostendo, è verbis Pauli 1. Corint. 13. v. 5: vos  
 ipsos tentate, an non sitis in fide, vos ipsos probate: Annon cognoscitis vosmet-  
 ipsos, quod scilicet Iesus Christus in vobis sit? nisi sicubi reprobi sitis. Unde sic  
 inferimus: Quod est proprium reproborum, id à verè Christianis maximè debet  
 esse alienum. Non cognoscere, quod sis in fide, & quod Christus in te sit, repro-  
 borum est proprium, teste Paulo. Ergo id à verè Christianis maximè debet esse  
 alienum. Quare dubitationis defensores, Iesuitæ, reproborum sequuntur natu-  
 ram, reproborum produunt ingenium, ceu Midas, auriculas asini.

72. VI. Ex eodem loco respondeo ad quæstionem: An Christianorum  
 infantes non baptizati, propter peccatum Originis, damnentur? Calviniani, infan-  
 tes fidelium, ab utero esse sanctos, vi promissionis Gen. 17, & fœdere Dei ac societate  
 æternæ salutis gaudere, blasphemè scriptitant. *Augustinus* olim studio asserendæ ne-  
 cessitatis Baptismi, contra Pelagianos in duriorē concessit sententiam, quâ in-  
 fantibus non baptizatis vita æterna simpliciter denegatur, *Epist. 17. 82. 92. 94.  
 lib. de fide ad Petrum c. 27.* Sed tamen, pro sua modestia, dubitauerit ut plurimum  
 in hac quæstione versatur, *lib. 21 de peccat. merit. & remiss. c. 15. lib. 8. de origin.  
 an. cap. 18, &c.* Pontificij, ut rigorem illius sententiæ quadantenus corrigere, et  
 medium inter cœlum & infernum locum mentiti sunt, quem limbum infantum  
 vocant, in quo infantibus illis nec benè, nec malè sit. Noviter sententiam Iesuvi-  
 tarum, in Colloquio Ratisbonensi anno 1601 *Hungerus* sic explicuit, *p. 34. edit Lu-  
 beccen, edit. Monach. p. 31*: Ejusmodi infantes, qui sine Baptismo decedant, non  
 salvantur, quod est fides Catholica. Cui *Hungeriano* effato, in eodem colloquio, si  
 rectè:

rectè æstimes, contradicit Tannerus p. 257. Vide etiam Bellarm. lib. 6. de stat. peccat. cap. 1. & seqq. Opponimus autem exempla, & inter alia Latronis huius, qui vi promissionis & precum Christi salvatus fuit, neq; tamen in Cruce baptizatus esse legitur, sed sine baptismo decessisse ipsimet Pontificij asserunt. Unde colligimus, casum necessitatis à Regula baptismi Ioan. 3. v. 5. excipi. Eadem ratio ad unguem procedit, in infantibus ante Baptismum mortuis, quippe & hi per pias Ecclesiæ & parentum preces Deo offeruntur. Excipit Gretser in colloquio Ratisb. p. 30: Latronem baptizatum baptismate sanguinis, & habuisse Martyrium. At, inquam, negat hoc Bellarminus tuus, Gretser, qui l. 1. de Sacr. Bapt. c. 6, ex Augustino docet, Latronem non salvatum baptismò sanguinis, sed flaminis, (quod etiam Oforius habet tom. 4. p. 618) & latronem illum non posse dici Martyrem. 2. Latro non nitebatur suo, sed Christi sanguine, 1. Ioan. 1. Neq; verò profusione sui sanguinis quis justificari potest. Act. 4. v. 12. Venit latro ad crucem alieno, humano sc. pollutus sanguine; inde descendit alieno, Christi mandatus sanguine. 3. Propriè etiam Latro martyr non est, quia causâ supplicij, fuit latroni, non confessio nominis Christi, sed atrocità, quæ exercuerat. Et quidni, hac ratione, omnes fures, latrones, aliosq; maleficos, si pœnitentiam agant, dices Martyres, Iesuita? Absurdo ingenio & iudicio.

73. VII. Mangones & interpolatores PURGATORII, Ethnicij, Iudæij, Mahumedani, Pontificij, hîc quoq; referantur. Nam si quis unquam fuit mortaliū, cui purgatoria flamma merito subeunda fuerit, certè hic latro est. Et tamen Christus illi non purgatorium, sed paradysum, visionem beatificam, illo ipso die latroni adhuc concedendam, (ut rectè ipsi Pontificij Oforius tom. 4. p. 616, Barradius p. 307. tom. ult.) promittit. Solus Maldonatus, Suiticâ subtilitate, hinc purgatorium adstruit! Iesuitæ VVestphali & Itali mirè sibi placent; loco Matt. 12. v. 32. Ad quem cum nos respondemus, negando, affirmationem legitimè colligi ex negatione; regerunt, id quidem verum esse, secundum regulas Dialecticorum: at secundum regulam prudentiæ non item. Quâ antithesi ostendunt, Dialecticam Iesuitarum, nihil aliud esse, quàm regulam stultitiæ. E Psalmis & Prophetis multa adferunt de igne. At omnia sunt ἀλλήγορημα. Quin si Sophistis, ad excitandum & inflammandum purgatorium satis est, adducere locos scripturæ, in quibus ignis commemoratur; nobis vicissim satis fuerit, opponere eos, in quibus mentio fit aquæ, ad commentitium illud incendium restringendum. Rectè ille, qui ita: Peccatum non remittitur, nisi, ubi committitur.

74. IIX. Μετεψύχως Pythagorica & Iudaica, Sadducæorum & Arabicorum dogma, quasi animæ cū corporibus penitus exstinguantur, Academicorum de animarū immortalitate dubitatio, & Pontificiorū clamor, qui hoc immortalitatis animarum dogma, non ex scriptura probari posse, sed ex Traditione non scriptâ credendum contendunt, hîc referantur, tam clarè, ut vix possint clarius.

75. IX. Discimus hinc, fabulam esse anilem, si veram Ecclesiam, ad personas, ad loca,

lōca, ad splendorē & magnificentiā externā alligemus. Nā ubi Ecclesia, nisi sub & in cruce, in miserē dispersis discipulis, tempore passionis Christi? I nunc Bellarmine, cum tuis, & scribe, notam esse Ecclesiā verā, Felicitatem temporalem, amplitudinem, Episcoporum successionem; lib. 4. de Eccl. notis c. 3. 4. 5. & c.

76. X. Abusus loci hujus est Pontificiorū & Calvinianorum, qui sic argumentantur: Si unio solvitur compositi, nisi ubicunq; fuerit unum ibi sit & alterum; tum in morte Christi separata animā à corpore, unio soluta fuit, quia corpus nō fuit ubi anima. Corpus enim in sepulcro, anima, dicere Christo ad latronem, in paradiso. At posterius absurdum. Ergo & prius. Ergo argumentum pro omnipræsentiā Christi secundum humanam naturam concidet. Ergo & ipsa omnipræsentiā. Sic *Bellarminus, Calvinus*. Egregiè verò! Nos tamen respondemus ad majorem: Qualis fuit separatio animæ à corpore, talis fuit unionis solutio, & loci, inter partes solutas, & separatas, distantia. At separatio fuit naturalis. Ergo unionis naturalis tantum, & non personalis, solutio facta est. 2. aliud est, esse τῷ λόγῳ, aliud rebus præsentem. Mansit ergo anima & corpus τῷ λόγῳ etiam in morte unitissimè præsens, licet corpus, non animæ, quā unionem naturalem, nec anima corpori præsens erat. Mutatio est facta, ratione unionis naturalis, non personalis. At ex unione personali, non naturali, deducimus, omnipræsentiā, & defendimus.

77. Contra verò ex hoc ipso effato Salvatoris XI. Keckermannus: Quemadmodū, non sequitur; Christus ad totum latronem in cruce dixit; Tu eris hodie mecum in paradiso: ergo latro suo corpore quoq; hodie in cælum est assumptus: ita non sequitur: Totus Christus est ubiq; Ergo & humana natura. *In system. log. p. 197. 198.* Cui, verbo respondeo, Keckermannum confundere totum essentiale cum personali. Argumentum à toto essentiali desumitur, quæstio est, de toto personali.

78. Deniq; XII: quod latro à sinistris perit, à dextris salvatur, Typus est extremi judicij, ubi itidem, qui à dextris, salvabuntur, reliqui damnabuntur *Matth. 25.* immo Typus est, sessionis, post judicium, sanctorū ad dextram Christi: vel in ipso throno Christi *Apocal. 3. v. 21.* Dices: Ergone corruet ista argumentatio, quā, ex sessione Christi ad dextram, majestatem carnis infinitam, hucusq; nostri, contra rasam & calvam cohortem, evicerunt, cum & nobis promittatur talis sessio? Ita sanè inferunt novelli subtiliores Calviniani, & tantum nō triumphos sibi, ceu Ajacis clypeo fusi, decernunt, sed ante victoriā. Respondemus enim, distinguendo, inter Thronum Dei vel Patris, & Thronū Christi. In throno Dei patris, nō sancti, sed Christus solus sedet, in throno Christi, sancti; phrasi scripturæ: Thronus Dei est immensa Dei majestas, Christi vero thronus, quem cum sanctis communicat, est æterna beatitudo *Ioan. 14. v. 2.* ille infinitus & ubiq; hic finitus & in paradiso; ille unicus, horum plures *Apoc. 4. v. 4.* ille deniq; æternus & increatus, isti verò throni sanctorum sunt parati. *Matth. 25. v. 34.* Parati & nobis, ab eo, cui

SOLI GLORIA.

26 20







rectè affimes, contradicit Tannerus p. 257. Vide peccat. cap. 1. & seqq. Opponimus autem exemplum qui vi. promissionis & precum Christi salvatus fuit, rus esse legitur, sed sine baptismo decessisse ipsimet ligimus, casum necessitatis à Regula baptismi Ioan. unguem procedit, in infantibus ante Baptismum Ecclesie & parentum preces Deo offeruntur. Exci p. 30: Latronem baptizatum baptisate sanguinis, quam, negat hoc Bellarminus tuus, Grefere, qui Latino docet, Latronem non salvatum baptismo sanguinis Osorius habet tom. 4. p. 618) & latronem illum non non nitebatur suo, sed Christi sanguine, i. Ioan. 1. sanguinis quis justificari potest. Act. 4. v. 12. Venit latro, sc. pollutus sanguine; inde descendit alieno, Christi etiam Latro martyr non est, quia causa supplicij, fuit in malis Christi, sed latrocinia, quæ exercuerat. Et quid latrones, aliosq; maleficos, si pœnitentiam agant, dic ingenio & iudicio.

73. VII. Mangones & interpolatores PUR Mahumedani, Pontificij, hîc quoq; refutantur. Nilium, cui purgatoria flamma merito subeunda fuerit, Christus illi non purgatorium, sed paradisum, visioni troni adhuc concedendam, ( ut rectè ipsi Pontificij dicitur p. 307. tom. ult.) promittit. Solus Maldonatus purgatorium adstruit! Iesuitæ VVestphali & Itali mirè ad quem cum nos respondemus, negando, affirmatione; regerunt, id quidem verum esse, secundum regulam prudentiæ non item. Quâ antithesin, nihil aliud esse, quàm regulam stultitiæ. E Pfal de igne. At omnia sunt ἀλλήλοειρήνα. Quin flammandum purgatorium satis est, adducere loco memoratur; nobis vicissim satis fuerit, opponere commentitium illud incendium restinguendum. non remittitur, nisi, ubi committitur.

74. IIX. Μετεμψύχωσις Pythagorica & Ieorum dogma, quasi animæ cū corporibus penitus animarū immortalitate dubitatio, & Pontificiorū animarum dogma, non ex scriptura probari posse, sciendum contendunt, hîc refutantur, tam clarè, ut

73, IX. Discimus hinc, fabulam esse anilem, si

lib. 6. de stat. Latronis huius, cruce baptizatus. Unde colladem ratio ad & hi per pias. loquio Ratisb. rium. At, in 6, ex Augustino, (quod etiam yrem. 2. Latro fione sui sanguine, i. Ioan. 1. eno, humano ne. 3. Proprie: nfessio nomi mnes fures, latro? Absurdo

Ethnici, Iudæi, am fuit mortali est. Et tamen illo ipso die latro p. 616, Barrate, hinc purgatorium. Matt. 12. v. 32. colligi ex negatione: at secundum sticam Iesuitarum multa adferuntur itandum & inbus ignis commotio sit aquæ, ad a: Peccatum.

orum & Arabidemicorum de immortalitate animarum non scripta creas. ad personas, ad loca,

